
BIBLIOTECA NAZIONALE
8
27 G
40
VITTORIO EMANUELE

PAVLI IOSEPHI DE ARRIAGA,


SOCIETATIS IESV,


RHETORIS CHRISTIANI


PARTES SEPTEM,

Exemplis cùm ſacris, tum Philoſophicis illuſtratæ.

Nunc primùm in lucem prodeunt.





LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC. XIX.

Cum Priuilegio Regis.



PROLOGVS

AD COLLEGIVM D. MARTINI LIMÆ in Peru.

REDEO, *cùm videbar emeritus, ad aciem, & dicendi artem, quam ante triginta sex annos docere cœpi adolescens, sæpiusque docui, iam senex repeto. Orator tunc mihi Christianus* Caroli REGII *è Societate nostra in manus venit felicissimè, legi, & perlegi iucundissimè, & Rhetoricam lecturus, eius quasi vestigiis insi-*

stens, multaque ex ipso decerpens, Rhetor esse Christianus volui, & Rhetores etiam Christianos formare, & instituere, & sic huius artis præcepta disponere, vt ad maiora & grauiora Oratoris Christiani viam aperirem. Ex Rhetore enim Christiano Declamator Christianus, ex Declamatore Christiano Orator Christianus perficietur. In tradendis præceptis, dum breuis esse laboro, conabor ne obscurus fiam. Ex sacratioribus diuinarum literarum adytis deprompta exempla interseram, non vt misceam sacra prophanis, sed vt, primis labris delibatâ illarum suauitate, adolescentes, ex quibus plures Ecclesiastici aliquando futuri

sunt,

ſunt, Deo auſpice, Concionatores, ita capiantur, vt illas ſemper ſitiant, ſemper appetant: & quo ſemel imbuta eſt, non diu, ſed ſemper ſeruet odorem teſta. Hæc enim rudimenta Concionatorum erunt, ſacrorum nempe oratorum: nec contemnenda hæc parua ſunt, ſine quibus illa non poſſunt conſtare magna grauiſsimi, & ſanctiſſimi muneris officia. Nec videbor extra chorum pſallere, ſi religioſus fratribus etiam noſtris religioſis obſequens concionandi præcepta breuiter perſtrinxero. Et cùm mihi, non tam orator inſtituendus ſit forenſis, quàm vt à Quintiliano ſuus, ab ipſis propè incunabulis Eccleſiaſticus erudiendus; illa,

quæ ad genus iudiciale, cuius antiqua ratio apud nos exoleuit, pertinent, consultò prætermittam. Quæ ad sacras conciones spectant, latiùs persequar. In septem libros, seu partes opusculum diuidetur. Prima Rhetoricæ prolegomena continebit, quinque subsequentes de totidem Rhetoricæ partibus agent, septima, quasi epitomem & coronidem totius operis, perfecti oratoris imaginem describet: quid illi faciendum, quid fugiendum sit, paucis, quasi quibusdam aphorismis, ex Carolo REGIO *magna ex parte desumptis, præcipiet, & docebit. Hæc dicendi artis præcepta iuniores discant, fortè aliquando meminisse iuuabit, grandiores*

le

legant, nec fortè legisse pœnitebit. Si autem sint aliqui, quibus hæc probata non fuerint, æqui bonique & placendi omnibus, & proficiendi consulant voluntatem. Mihi huius laboris, qualiscunque ille sit, non minimus erit fructus, si meum erga vos Adolescentes integerrimi amorem, beneuolentiam, & studium testatum omnibus esse voluero; cùm lucubrationes istæ in vestro nomine appareant, vobis & placeant & proficiant. Quibus à primo vestri Collegij fundamento, ante annos triginta quatuor mea non tam opera quàm operæ, & labores ingrata non fuerunt. Nec alij cuiquam, aut quibusquam aliis quàm vobis singulis, vestróque Colle-

gio æquius, aut iustius mea omnia, atque adeò meipsum debeo, qui primo, & primus vestro huic Collegio, sæpius interrupto aliis occupationibus muneri, per plures annos Rector quintò etiam præfui. Meos ipsi labores in extruendis parietibus, in componendis moribus, in promouendis literis, in tribus præsertim instituendis congregationibus, prima ac maxima sacrosanctæ Virginis Lauretanæ in eius sacello ad prototypi formam effecto, Angeli custodis secunda, tertia non reliquis inferiori sanctissimæ Eucharistiæ vidistis, laudastis, admirati estis aliquando, ego lōgè maiores fructus vidi, laudaui, admiratus sum, Deóque

primo

primo ac maximo bonorum omnium auctori, acceptos refero. Nam neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus. *Quis enim non admiretur, ſi meminerit vnum ac ſolum in hoc Collegio non multos ante annos ſcholaſticum ſe vidiſſe, quaſi conſeruatam in vno atque minimo indiuiduo nobiliſſimam ſpeciem, nunc ducentos propè ſcholaſticos florem totius Hiſpanicæ nobilitatis, magnæ expectationis adoleſcentes, plures Philoſophica, & Theologica laurea inſignes, aliquos ſacerdotio initiatos intueatur? Prodierient ex hoc veſtro Collegio, tanquam ex equo Troiano ad*

diuersa munera & officia principes in primis viri, & ad diuersas Religiosorum familias quamplurimi, qui eas nunc illustrant maxima commendatione omnium. Ex vno reliquos annos coniectemur, vt ex vnguibus leonem. Vltimo mei muneris anno plures numero triginta nomen religioni dederunt, superioribus annis aliquando etiam plures, nec minor in posterum fructus speratur. Sed hæc pauca de multis, quæ longiorem postulant historiam, texendam fortasse, vbi tanta est rerum seges, & materia: si vos præsertim acceptam à prioribus gloriam conseruetis atque etiam augeatis. VA-

LE

LETE, *& hoc opusculum mei amoris certum pignus & monumentum capite sempiternum. Kalendis Aprilis, Christianæ salutis anno 1618.*

Omnium ac singulorum vestrûm in Christo seruus

PAVLVS IOSEPH.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, *in Prouincia Peruana.*

EGO Iacobus ALVAREZ de Paz, Præpositus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Peruana, facultate ad id mihi factâ à R. P. Mutio VITELLESCO Præposito nostro Generali; facultatem concedo (si ita iis, ad quos pertinet, videbitur) vt typis mandetur liber, qui RHETOR CHRISTIANVS inscribitur, auctore Paulo IOSEPHO de Arriaga eiusdem Societatis IESV; à nonnullis nostræ Societatis Theologis recognitus. Data LIMÆ, Kalendis Aprilis. 1618.

IACOBVS ALVAREZ DE PAZ.

Appro

Approbatio.

IOANNES Claudius Deville, in sacra Theologia Magister, & diuini verbi Prædicator; in S. Pauli huiusce Ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunensi Diœcesi à Dn. Dionysio Simone de Marquemont, Illustrissimo & Reuerendiss. Archiepiscopo, in Librorum censuram incumbere iussi: fidem facimus, Nos hunc librum, cui inscriptio est, *Pauli Iosephi de Arriaga*, *Soc.* IESV, *Rhetoris Christiani Partes VII.* vidisse & legisse, nihilque in eo à Catholica Apostolica & Romana fide contineri alienum. LVGDVNI apud S. Paulum V. Nouemb. 1619.

C. DEVILLE.

Permiſsio.

THOMAS de Meſchatin la Faye, Comes Canonicus & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, in ſuprema Dombarum Parlamenti Curia Conſiliarius, Galliarum Primatiæ Officialis, & in Archiepiſcopatu Lugdunenſi Vicarius generalis, librum inſcriptum *Pauli Ioſephi de Arriaga, Soc.* IESV, *Rhetoris Chriſtiani Partes VII.* & à Theologis recognitum, typis mandari permittimus. LVGDVNI 8. Nouembr. 1619.

MESCH, LA FAYE.

SVM

SVMMA PRIVILEGII à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno suo, aliísve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Pauli Iosephi de Arriaga, Soc.* IESV, *Rhetoris Christiani Partes VII.* præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subdi-

tis,

tis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare ſine conſenſu dicti HORATII CARDON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſve pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis die 7. Decembris 1618.

De mandato Regis,

Signatum

BRVLART.

IN



INDEX PARTIVM SINGILLATIM, ET CAPITVM.

PARS I.

De PROLOGOMENIS Rhetoricæ.

PARS

PARS II.

De Inventione.

spera

PARS III.

De Dispositione.

PARS IV.

De Eloqvutione.

PARS V.

De Memoria.

PARS VI.

De Pronvnciatione.

PARS VII. & vltima.

ELENCHVS eorum, quæ optimo oratori Ecclesiastico seruanda; quæ item fugienda.

SERVANDA.

FVGIENDA.



RHETORIS CHRISTIANI
PARS PRIMA.
De Prolegomenis Rhetoricæ.

Capvt I.
Quid sit Rhetorica, *quod eius* Officium, Finis, *&* Materia.

Rhetorica nomen est Græcum, nec est vllum Latinum, quo reddi possit: & deducitur à verbo ῥέω, i. *dico, loquor.* Definitur autem Ars, vel doctrina dicendi, hoc est, grauiter, copiosè & ornatè loquendi. Eius Offi-

CIVM eſt dicere appoſitè ad perſuaſionem: FINIS, perſuadere dictione. Perſuadere autem voco, vnâ cum motu animorum facere in dicendo fidem. Eius MATERIA, vel ſubiectum, aut obiectum, circa quod illa verſatur, eſt quacunque de re, quæ in deliberationem cadat, vel laudari poſſit, aut vituperari, propoſita quæſtio.

CAPVT II.

Quotuplex ſit QVÆSTIO.

QVÆSTIO eſt duplex, finita, quæ Græcè ὑπόθεσις, Latinè *cauſa*, ſiue *controuerſia* dicitur; altera infinita, quæ θέσις Grecè, Latinè *propoſitum* appellatur. Infinita, in qua aliquid generaliter quæritur: vt, an reſpublica à
1. Reg 8. Rege, vel à iudicibus, vt quondam Iſraëlitica, adminiſtranda

ſit. FINITA, in qua aliquid peculiare diſputatur: vt, vtrùm oporteat, vt Roboamus plebem beneuolentiâ, & amore, in officio contineat, vel rurſus nimia ſeueritate coërceat. Quæſtio finita tranſit in infinitam, remotis circumſtantiis, quibus quaſi finibus continebatur. Infinita autem, compreſsa circumſtantiarum terminis, reducitur ad finitam: circumſtantiæ autem, celebri hoc carmine comprehenduntur: 3. Reg. 2.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis,
cur, quomodo, quando? D. Th. 1. 2. q. 7. a. 3.

CAPVT III.

FINITA & INFINITA *Quæſtio quotuplex ſit.*

FINITÆ quæſtionis tria ſunt genera, Exornatiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale: omnia

enim, quæ tractantur à quouis oratore, vel ſunt præterita, vel futura. Si præterita, laudãtur, vel vituperantur; ſi extra iudicium, conſtituitur genus exornatiuum, cuius duæ ſunt partes, laus, & vituperatio; ſi in iudicio, genus iudiciale, quod diuiditur in accuſationem, & defenſionem; ſi futura tractantur ab oratore, ſuadẽtur, vel diſſuadentur, & eſt genus deliberatiuum, cuius duæ ſunt partes, ſuaſio, & diſſuaſio.

INFINITA quæſtio eſt duplex, cognitionis vna, cuius finis eſt ſcientia: vt, an vinum fortius ſit muliere, vel Rege. Actionis altera, cuius finis eſt actio: vt, an adoleſcentes flagris ſint coërcendi, vel alliciendi amore. Quæſtio cognitionis, in qua quæri ſolet, an ſit, quid ſit, quale ſit, ad Philoſophos pertinet: actionis ad oratores, cùm remotis circumſtantiis hypotheſis ad theſim reuocatur,

3 Eſd. c. 5.

Eccli. 3.

tur, vt patentiorem habeat campum, quo ſe oratio diffundat, vt ſuprà dictum eſt.

CAPVT IV.

Quot & quæ ſint PARTES *Rhetoricæ.*

HÆC de officio, fine, & materia Rhetoricę dicta ſufficiant. Cuius quinque ſunt partes, Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. INVENTIO eſt rerum verarum, aut veriſimilium excogitatio, quæ quæſtionem probabilem reddant, nec non illarum rerum, quę motum faciãt auditoribus. DISPOSITIO eſt rerum inuentarum in ordinem diſtributio. ELOCVTIO eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. MEMORIA eſt

firma orationis perceptio. PRONVNCIATIO est corporis, & vocis, ex rerum & verborum dignitate moderatio.

CAPVT V.

Quomodo COMPARETVR *Rhetorica, & ad quos* SPECTET.

DICENDI doctrina, quæ supradictis quinque partibus constat, naturâ, arte, & exercitatione COMPARATVR. Natura linguæ solutionem, vocis suauitatem, & energiam, firma latera, in inueniendo acumen, in disponendo prudentiam, in eloquendo venustatem, tenacem eorum, quæ dicuntur, memoriam; in motu corporis dexteritatem, & omnia reliqua tam animi, quàm corporis dona concedit. Ars, quam notatio naturæ pe-

perit,

perit, & quæ dat rationes, & præcepta faciendi aliquid, ea quæ à natura concessa sunt, limat & excolit; si qua desunt, addit; si qua supersunt, & luxuriant in oratione, amputat. Exercitatio ea, quæ à natura concessa sunt, & arte exculta, consummat, & ad perfectionem ducit. Ad sacros & ecclesiasticos oratores, (sic enim appello Concionatores) ars bene dicendi maximè SPECTAT; quorum officium est dicere appositè ad persuasionem; finis persuadere dictione. Quorum munus cùm in Dei Ecclesia sit maximum, & in primis necessarium, ita eius facultas, quæ naturâ, arte, & exercitatione comparata sit, debilis & frigida erit, nisi eam vis diuina confirmârit, cælestísque ignis incenderit: expectanda est summa animi demis-

ſione, petenda obnixis precibus à Deo, à quo *omne datum optimum, & omne donum perfectum.* Fuit quondam hæc facultas Oratorum, Declamatorum, & Rhetorum. ORATOR eſt qui cauſas graues, & ſerias ad plebem agit: DECLAMATOR, qui fictis cauſis ſe ad grauiores exercet: RHETOR, qui hanc artem, vel docet, vel diſcit.

Iac. 1.

PARS



PARS II.

De INVENTIONE.

CAPVT I.

Quid sit INVENTIO.

INVENTIO est rerum verarum, aut verisimilium excogitatio, quæ quæstionem probabilem reddant, nec non illarum rerum, quæ motum faciant auditoribus. Bimembris est hæc definitio, nam & res exquirendas dicit, ad fidem faciendam auditoribus, & ad illorum animos permouendos; vtrumque enim includit verbum *persuadere*, quem finem esse Rhetoricæ diximus. Fidem facimus argumentis & argumentatione, mouemus ampli-

ficatione.

CAPVT II.

Quid sit ARGVMENTVM, ARGVMENTATIO, & AMPLIFICATIO.

ARGVMENTVM eſt ratio rei dubiæ faciens fidem argumentatione. ARGVMENTATIO eſt argumenti explicatio, vel methodus argumentandi. AMPLIFICATIO eſt grauior quædam argumentatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem. De Argumentatione agetur in ſecunda Rhetoricæ parte, ad quam illa ſpectat. Nunc de Argumentis, poſtea de Amplificatione. Argumenta ſunt duplicia, inſita, & aſſumpta: inſita ſunt, quæ rei ipſi inhærent; aſſumpta, quæ etiam remota dicuntur, quę aſſumūtur extrinſecus, de quibus

pòſt. Nunc de inſitis, quę ex ſedecim locis petuntur, quos argumentorum ſedes appellat Ariſtoteles.

CAPVT III.

De DEFINITIONE.

PRIMVS locus ex topicis eſt à Definitione, quæ eſt oratio, quæ id, quod definitur, explicat quid ſit. Eſt autem vera, & propria Definitio, quæ genere conſtat, & differentia. Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie. Hæc autem ſpecies, quæ differentia, proprietas, vel forma appellatur, rem diſtinguit ab aliis: vt, templum eſt domus orationis; homo eſt animal rationale. quæ Definitio appellatur eſſentialis, vel quidditatiua. Altera eſt deſcriptiua, res notis ſuis, quaſi quibuſ-

dam coloribus deſcribens, quæ vel res per tranſlationem depingit: vt illa, *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.* Aut rem per ſuas cauſas, & effecta, adiunctaque deſcribit, loco propriæ differentiæ: vt illa apud eundem, *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur*, &c. Hinc apud Virgilium 1. Æneid, 4. Fama definitur,

Iob 13.

Cap. 14.

> *Fama malum, quo non aliud velocius vllum*
> *Mobilitate viget, viréſque acquirit eundo*
> *Parua metu primo*, &c.

Hic locus à definitione omnibus rebus, & cauſis conuenire poteſt.

CAPVT IV.

De NOTATIONE.

SECVNDVS locus est ab etymologia, seu notatione, quæ verborum originem inquirit, & est quædam velut definitio nominis: vt illa, *Iustè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me en altera vice.* Et Ouidius in Fastis lib. 1. victimam à vincendo, hostiam ab hoste dicit. Gen. 27.

Victima quæ dextrâ cecidit victrice vocatur,
Hostibus à domitis hostia nomen habet.

NOTATIO ad irrisiones, & iocos valet, cũ interpretatio nominis rebus ipsis conuenit. Vnde Cicero Verrem nunc à verrendo, nunc à verre dicit. In sacris literis magnam sæpe vim habet nominis etymologia, plurima enim nomina imposita sunt à

Mat. 16. Deo: vt illud, *Tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. Sæpe etiam latentem & mysticam habent significationem: vt illud, Gen. 49 *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens.* Et hac de causa apud sanctos Patres hic locus sæpe in vsu est. Vnde Hieronymus ad Heliod. *Interpretare vocabulum monachi, quid facis in turba, qui solus es.*

CAPVT V.

De CONIVGATIS.

CONIVGATA sunt, quæ sunt ex verbis generis eiusdem, & ex eodem fonte dimanant, ac vno quasi iugo continentur: vt sapiens, sapienter, sapientia. Hinc illud, 1. Cor 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo, cælestis.* Inde Propertius lib. 2. Eleg. 23.

Libertas quoniam nulli iam restat amanti,

Nullus

Nullus liber erit, si quis amare velit.

Magnus vsus est huius loci, cū aliis multis in rebus, tum sæpe in iocis & agnominatione. Vnde Cicero in Verrem, *Nouus Astrologus, qui non tam rationem cæli, quàm cælati argenti duceret.*

CAPVT VI.

De partium DISTRIBVTIONE.

QVARTVS locus est à partium DISTRIBVTIONE, quando totum in plures partes distribuitur. Vt illud, *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades,* &c. A partibus, vel laudamus, vel vituperamus totum, nec tunc necesse est omnes partes percurrere: si verò hic locus ad proba- *Psal 138.*

tionem

tionem affertur, nulla est pars prætermittenda. Vt illud Martialis lib. 1. Epig. 20.

Si memini, fuerant tibi quattuor
Elia dentes,
Expuit vna duos, tussis & vna
duos.
Iā secura potes totis tussire diebus,
Nil isthic quod agat tertia
tussis habet.

CAPVT VII.

De GENERE & FORMA.

GENVS est, vt definitur à Cicer. de Oratore 1. quod suiipsius communione quadam similes, specie autem differentes, duas vel plures complectitur partes, quæ formæ dicuntur: vt virtus prudentiam, iustitiam, &c. Genus apud Rhetores latissimè sumitur: nam quidquid sub se ratione aliqua partes continet, ge-

neris nomine poteſt appellari: vt homo, reſpectu Petri & Pauli, quanuis ille ſit ſpecies, iſti ſint indiuidua. A genere laudamus, vel vituperamus ſuas ſpecies, & econtra. Argumentum à genere valet ad deſtruendam FORMAM: vt, ſi arbor non eſt, neque laurus. non ad confirmandam, niſi adſit nota generis vniuerſi, nullus, omnis, &c. Nullus piſcis reſpirat; ergo nec delphinus. Argumentum ab ſpecie valet ad probandum genus: vt, eſt iuſtitia; ergo virtus. non ad negandum, niſi remoueantur omnes ſpecies: vt, non eſt homo, nec brutum; ergo nec animal. Ex hoc loco ſumitur vis illa argumenti, quo D. Paulus ſe non aliis inferiorem eſſe demonſtrat: *Hebræi ſunt? & ego. Iſraelitæ ſunt? & ego. Semen Abrahæ ſunt? & ego. Miniſtri Chriſti ſunt? & ego.* 2.Cor 11. Vbi Hebræi, Iſraelitæ, &c. ſunt loco generis, ego,

ſpeciei.

Psal 111. ſpeciei. Hinc etiam illud, *Diſperſit, dedit pauperibus; ergo iuſtitia eius manet in ſaculum ſaculi.* Hinc etiam illud Martialis lib. 7. Epig. 91.

Si quid opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum,
Bis nobis dicis, Bacchara, térque die.
Appellat rigidâ triſtis me voce Secundus.
Audis, ſed neſcis; Bacchara, quid ſit opus.
Penſio te coram petitur, claréque, palámque:
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Eſſe queror gelidáſque mihi, tritáſque lacernas:
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Hoc opus eſt, ſubito fias vt ſydere mutus,
Dicere ne poſſis, Bacchara, quid ſit opus.

Vbi opus est genus, reliqua quę Martiali desiderabantur, eius species.

CAPVT VIII.

De SIMILITVDINE.

SIMILITVDO est, quæ traducit aliquid simile ex re quapiam dispari. Vt mundus, mare; illę calamitatibus, hoc fluctibus perturbatur. Hæc similitudo dupliciter sumitur, & probationis gratiâ, & ornatus, cuiusmodi sunt poëticæ similitudines; præclarè enim ad inferendam rebus lucem inuentæ sunt. Vt Virgil. Ecloga 2.

O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Et elegantior, & illustrior illa Isaiæ, *Omnis caro fœnum, & omnis* *Cap. 40.*

gloria

gloria eius, quaſi flos agri. Simili-tudo, quæ probationis cauſa ſumitur, duabus conſtat partibus, protheſi, ideſt, propoſitione, quæ his aduerbiis, quemadmodum, non ſecus, vt, & aliis huiuſmodi oſtenditur; apodoſi, ideſt, redditione, quæ, ita, ſic, non aliter, & ſimilibus ſignificatur: vt illa, *Sicut ſagitta infixa femori canis, ita verbum in corde ſtulti.* Et illa Ouidij lib. 1. Eleg. 4. Triſtium,

Eccli. 19.

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Aliquando particulæ, & notæ propoſitionis, & redditionis ſupprimuntur: vt,

Verba ligant homines, taurorum cornua funes.

Et illa, *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua.*

Prou. 11.

CAPUT IX.

De DISSIMILITUDINE.

DISSIMILITUDO est, quę traducit aliquid dissimile ex re quapiam dispari: vt, *Iustorum semita quasi lux splendens, via impiorum tenebrosa.* Et illud Catulli ad Lesbiam 5. Prou. 4.

Soles occidere, & redire possunt:
Nobis cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

Sic D. Basilius contra diuites: *Mare nouit terminos suos, non transgreditur antiquam termini descriptionem: sed auarus non veretur tempus, non statuit terminum, sed ignis violentiam imitatur, omnia corripit, omnia depascitur.*



CAPVT X.

De CONTRARIIS.

CONTRARIORVM genera ſunt quatuor, Aduerſa, Relata, Priuantia, & Contradicentia. Aduerſa ſunt, quæ ſub eadem communione generis plurimum inter ſe differunt: vt homo, & bellua, ſub animali. Relata ſunt, quæ inter ſe conferuntur, & alterum ſine altero eſſe non poteſt: vt Magiſter, diſcipulus. Priuantia ſunt, quæ defectum & priuationem alicuius rei ſignificant in eo, quod eam habuit, aut habere potuit: vt mors, & vita. Contradicentia ſunt, quorum vnum ait, alterum negat. In laude, vel vituperatione communis contrariorum vſus eſt, cùm hoc laudamus, aut alterum vituperamus; quamuis in relatis, quia non habent oppoſitam contradictionem, ſed mutuam conſe-

sequen

quentiam, ab vno relatiuo aliud
commendatur. Ex quo profectò
intelligi poteſt (inquit Cicero
pro Marcello) quanta in dato
beneficio ſit laus, cùm in ac-
cepta tanta ſit gloria. In proba
tionibus verò ſingulorum vſum
inquiramus. Aduerſariorum duo
ſunt genera, vnum eorum, quæ
aliquid intermedium habent: vt
candor, nigror. nam inter eos
viridis, purpureus & alij colores
medij ſunt. Alterum eſt eorum,
quæ nihil habẽt intermedium: vt
ſalus, morbus, ſapiens, ſtultus.
In primo genere, ex affirmatio-
ne vnius negatio alterius con-
cluditur, non econtra: vt, album
eſt; non igitur nigrum. In alte-
ro ex affirmatione negatio, &
ex negatione affirmatio con-
ſequitur: vt, ſapiens eſt; non igi-
tur ſtultus. Hinc illud Martialis
lib. 8. Epig. 13.

Morio dictus erat, viginti milli-

bus

bus emi,

Redde mihi nummos Gargaliane; sapit.

Io. 10. Hinc est vis illa argumenti, *Ego sum pastor bonus; bonus pastor animã suam ponit pro ouibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & fugit, & dimittit oues,* &c.

In Relatiuis ad probationem petitur argumentum ab affirmatione vnius ad affirmationem alterius: vt illud Martialis lib. 1. Epig. 82.

Tum seruum scis te genitum, blandéque fateris,

Dum dicis dominum Sosibiane patrem.

Et à negatione ad negationem: vt, non est pater; non igitur habet filium. & ab affirmatione ad negationem: vt Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

At vos exiguo pecori furésque, lupique,

Parcite;

Parcite; de magno est præda petenda grege.

Et rursus à negatione ad affirmationem: vt, non de paruo grege lupis prædandum est; igitur de magno. In his duobus modis latet semper dilemma: vt, vel de paruo, vel de magno grege prædandum est lupis. Hinc petitur vis illa argumenti, *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* *Mal. 1.*

In priuantibus & contradicentibus sumitur argumentum ab affirmatione vnius ad negationem alterius; & è contrario: vt illud Martialis lib. 2. Epig. 16.

Ebrius es; nec enim faceres id sobrius vmquam.

Et illud etiam Martialis lib. 5. Epig. 83.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane;

Dantur opes nulli nunc, nisi diuitibus.

Ebrius, & pauper significant priuationem: sobrius, & diues habitum.

In Contradicentibus aduertendum est negationem semper casuram super verbum orationis, quod coniungit extrema propositionis: vt, Milo insidiatus est Clodio, Milo non insidiatus est Clodio. & Ouidius lib. 1. de arte amandi,

Iuppiter ex alto periuria ridet amantum,
Et iubet Æolios irrita ferre notos.

Negat Propertius lib. 2. Eleg. 16.

Non semper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter, & surdâ negligit aure preces.

CAPVT XI.

De REPVGNANTIBVS.

REPVGNANTIA vel Dissentanea sunt, quæ nec certa lege, nec numero inter se dissident. In superioribus Contrariis ad docendum, & ad fidem faciendam, plus est lucis, in Repugnantibus plus aliquando ad admouendum roboris; sic enim interdum deprauata sunt hominum ingenia, vt magis agitata, quàm docta assentiantur. Hinc Isaias veritati & pietati illos non studere probauit, qui ludis, & comessationibus se dederent. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis.* Hinc Virgilianus Æneas lib. 1. Vene- *Cap. 5.*

rem Deam esse concludit Spartanæ Virginis habitum simulantem,

O quàm te memorem virgo! namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominum sonat, ô Dea certè.

Capvt XII.
De Svbiectis & Adivnctis.

Svbiecta & Adivncta, nomine sunt mutuæ relationis. Subiecta sunt, quę Adiūctis subiiciuntur; Adiuncta quæ Subiectis adiunguntur. Adiuncta sunt triplicia, antecedentia, quæ rem antecedunt: comitantia, quę propriè vocantur Adiuncta; & consequentia, quæ rem consequuntur. Item Adiunctorum tripartita est distinctio: nam aut sunt in re ipsa, & dicuntur Adiacen

centia: aut circa rem verſantur, & vocantur obiecta: aut rem ipſam circunſtant, quæ circunſtantiæ poſſunt appellari.

Item Adiacentium alia ſunt natiua, & propria, quæ à ſubiecto remoueri non poſſunt: vt, in igne calor; in homine, eſſe riſibilem. quædam accidunt, & abeſſe poſſunt à ſubiecto, vt in aqua calor, in homine pulchritudo, prudentia, &c. Antecedentia, & conſequentia item ſunt duplicia: quædam quæ rem neceſſariò antecedunt, & ſubſequuntur, vt ſol diem: quædam quæ poſſunt, vel non poſſunt rem antecedere, vt cædem comminatio, odium occiſionem. Ex antecedentibus & conſequentibus neceſſariis, & ex adiunctis adiacentibus natiuis, & propriis maximum & fortiſſimum argumentum ſumitur ad fidem faciendam: vt, dies eſt; iam igitur ortus eſt ſol.

& è contrario, de antecedenti ad consequens: ortus est sol; iam igitur dies est; latrat, canis igitur est. Sed ex réliquis Adiũctis magnæ confirmationes & graues petuntur. Nam etsi singula non multum ponderis habeant, multa tamen si coniunxeris, plerunque magnam vim sunt habitura: quemadmodum de huiusmodi signis ait Ouidius lib. 2. de rem. amor.

Forsitan hæc aliquis, nam sunt quoque, parua vocabit;
Sed quæ non possunt singula, multa iuuant.
Túque tamen numero pugna, præceptaque in vnum
Contrahe; de multis grandis aceruus erit.

In describendis, laudandis, & vituperandis rebus egregium locum habent Adiuncta. Hinc Leuiathan à S. Iob depingitur, *Corpus illius quasi scuta fusilia, compa-* Cap. 41.

ctum

ctum squamis se prementibus, &c. Et equus describitur, *gloria nariũ eius terror, terram vngula fodit, exultat audacter, vbi audierit buccinam, dicit vah! procul odoratur bellum,* &c. Hinc elegãter Ouidius, famam, somnúmq; depinxit, & Martialis Zoilũ lib. 12. Epig. 54. Cap. 39.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus.
Rem magnam praestas Zoile, si bonus es.

CAPVT XIII.

De CAVSIS.

CAVSA est, quae sua vi efficit id cuius est causa. Sunt autem quatuor causarum genera. Efficiens, à qua res fit: Finis, propter quam fit: Materia, ex qua fit: Forma, per quam est; de quibus sigillatim agemus.

Efficientium duplex est condi-

tio, alia natura agunt & necessitate quadam, qualia sunt, quę iudicio carent, vt sol, ignis; alia delectu, & consilio, vt homines. Atque eorum quæ necessitate agunt, quædam externa vi, quædam propria & natiua virtute.

Item efficiens causa ad clariorem cognitionem diuidi solet in absolutam, adiuuantem, procreantem, & conseruantem. Absoluta est, quæ sola rem efficit, vt ignis calorem. Adiuuans est, quæ aliam adiuuat, vt ministri, & instrumenta omnia, quò etiam modus, locus, & tempus referuntur. Procreans causa est, quæ primò rem efficit, vt pater filium, sic rerum inuentores, & artifices, (procreandi enim verbum de rebus omnibus, quæ ex sese aliquid efficiunt, est intelligendum.) Cōseruantes sunt, quę statum iam rei factæ tuentur, vt leges iudices, magistratus Remp.

Præterea humanarum actionum multiplex causa consideratur. Quæcunque enim homines faciunt, aut faciunt per se, aut non per se: si per se, aut ex consuetudine, aut propter appetitum; qui appetitus, aut est rationis compos, & dicitur voluntas: aut rationis expers, cuius duæ sunt partes, ira & cupiditas.

Rursus cũ per se homines non faciunt, fortuna interueniente, aut necessitate faciunt; & necessitatis vis duplex est, interna, vt natura; externa, vt violentia.

Septem igitur sunt causæ humanarum actionum, consuetudo, voluntas, ira, cupiditas, fortuna, siue casus, natura, violentia.

Efficientium causarum maximus est vsus, tum ad fidem faciendam, tum ad motum animorum. Frequenter enim, vt negetur effectus, remouetur causa,

& vt concedatur effectus, proponitur causa: vt, *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me.* hinc infert, *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Concessa item causa, præcipuè si necessaria sit, concedendus est item effectus. *Qui plantauit aurem, non audiet? & qui finxit oculum, non considerat?* Ad coniecturas item valent plurimum plures adiunctæ causæ. Hinc etiam excusamus factum alicuius, quia non voluntate, sed casu, vel violentia, vel ratione aliqua grauiore commotus fecerit, vt Noe nuditatem, Lot incestum, Iacob simulationem.

Psal. 118.

Psal. 93.

In laude & vituperatione precipuum locum habent causæ & effecta. Hinc enim artificem ab operibus, inuentorem à rebus inuentis, & quemuis à rebus gestis laudamus, vel vituperamus. Causas beatæ vitæ ad eius commen-

datio

dationem collegit Mart. lib. 10. Epig. 47.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta;
Non ingratus ager, focus perennis;
Lis nunquam, toga rara, mens quieta;
Vires ingenuæ, salubre corpus;
Prudens simplicitas, pares amici;
Conuictus facilis, sine arte mẽsa;
Nox non ebria, sed soluta curis;
Somnus qui faciat breues tenebras;
Quod sis, esse velis, nihilque malis;
Somnum nec metuas, diem neque optes.

Hinc ille amicis solùm donandum esse probauit lib. 5. Epig. 44.

Callidus effractâ nummos fur auferet arca;
Prosternet patrios impia flam-

ma Lares.

Debitor vsuram pariter, sortémque negabit,

Non reddet sterilis semina iacta seges.

Dispensatorem fallax spoliabit amica:

Mercibus exstructas obruet vnda rates.

Extra fortunam est, quidquid donatur amicis.

Quas dederis, solas semper habebis opes.

Hinc illud Ouidij lib. 1. de rem. amor.

Quæritur, Ægisthus quare sit factus adulter;

In promtu causa est, desidiosus erat.

Idem lib. 2. tristium, eleg. 1. à casu & imprudentia scelus suum excusat.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?

Cur imprudenti cognita culpa

mihi est?

Inscius Actæon vidit sine veste Dianam,

Præda suis canibus non minus ille fuit.

Scilicet in superis etiam fortuna luenda est:

Nec veniam læso numine casus habet.

Finis est, cuius gratia aliquid fit, quæ prima intentionis causa dici solet, & ad quã reliquæ causæ referuntur: vt, hominis beata vita, domus habitatio. Hinc illud, *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Et illud D. August. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Hinc Martialis lib. 9. Epist. 23. Pastorem, vt sibi pecunias daret, persuadet. Psal. 72.

Credis ob hoc me Pastor, opes fortasse rogare,

Propter quod vulgus, crassaque turba rogat.
Vt setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager:
Nec labris nisi magna meis cristalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna niues,
Vt lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Massylaeum virga gubernet equum.
Est nihil ex istis; superos, & sydera testor.
Ergo quid? vt donem Pastor, & adificem.

Forma est, per quam res est, id quod est, vnde Proprietas appellatur, & à rebus aliis distinguitur, vnde Differentia dicitur. Est autem duplex, interna, & naturalis, vt hominis, ignis: externa & artificiosa, vt domus, nauis; i

la ſæpe tam abſtruſa eſt, & recondita, vt vix mente concipi poſſit, necdum oratione explicari, vt canem eſſe latrabilem: hæc autem tam perſpicua, & clara, vt oculis melius conſpiciatur, quàm verbis explicetur. In Definitione pręcipuum habet locum Forma: à qua item laudamus, vel vituperamus, rémque deſcribimus. ex hoc loco ſumpta eſt vis argumenti illius, *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, effundetur ſanguis eius; ad imaginem enim Dei factus eſt homo.* Gen. 9. A remotione huius cauſę deſcribit Ouidius Chaos, 1. Met.

Ante mare, & terras, & (quod tegit omnia) cælum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe.
Quem dixere Chaos: rudis, indigeſtaque moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem

Non bene iunctarum discordia
semina rerum.

Materia est, ex qua res fit; res autem natura comparatæ materia constant, & forma. Materia enim recipit formam, forma autem materiam in hoc, vel illo genere rei constituit. Materia præterea per Catachresim appellatur, cuius vis artis, vel facultatis obiectum, vt diximus in Adiunctis. A materia laudamus, vel vituperamus. Hinc Ouidius 2. Met. Solis regiam describit, & commendat.

Regia Solis erat sublimibus alta
columnis,
Clara micante auro, flammásque
imitante pyropo,
Cuius ebur nitidum fastigia
summa tegebat,
Argenti bifores radiabant lu-
mine valuæ.

Hinc Virgilius lib. 6. Tartarum descripsit:

Porta aduersa ingens; solidóque adamante columnæ.
Vis vt nulla virûm, non ipsi excindere ferro
Cælicolæ valeant, stat ferrea turris ad auras.

Ab hoc loco petitur illud argumentum, quo Daniel probauit Deum Bel non comedere. Iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando. Hinc etiam illud, *Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Et illud, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuertéris.* A quatuor his causis commendari potest celeberrimum illud Hierosolymitanum templum. Efficiens causa erit sapientissimus, & ditissimus Salomon, & alij summæ peritiæ artifices, qui in eo elaborarunt.

Cap. 14.

Psal. 102.

Gen. 3.

3 Reg. 6.

Forma

Formalis, ipſa ſtructura, & pulchritudo templi. Materialis, pretioſi lapides, ligna cedrina, & aureæ laminæ, quibus compactum erat. Finalis, ſummi Dei cultus, in cuius honorem conſtructum eſt.

CAPVT XIV.

De EFFECTIS.

EFFECTA ſunt orta de cauſis, (effecta effectus, euenta euentus, eadem ſignificatione vſurpantur.) Totidémque ſunt effectorum genera, quot cauſarum: nam cauſæ & effecta nomina ſunt relatiua, & cognita cauſa, effectus cognoſcitur, & econtrario.

Præterea effectus tribus temporibus tractantur, quid fecerit, dixerit; quid illi acciderit, quid faciat, dicat; quid illi accidat;

quid ſit facturus, dicturus; quid illi caſurum.

In probationibus, remoto effectu, remouetur etiam cauſa: vt, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et illud, *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*, &c. *Io. 8.* *1. Pet. 2.*

Præcipuum habent locum effecta in laude, & vituperatione. Hinc rerum opifices, & inuentores commendantur: vt Iabel, quòd paſtoritiam inuenerit artem, Tubal, quòd Muſicam, Tubalcain, quòd fabrilem, & ferrariam, Enos, quòd modum & rationem orandi Deum. Hinc Horatius Ebrietatem vituperat lib. 1. Epiſtol. 5. ad Torquatum: *Gen. 4.*

Quid non ebrietas deſignat, operta recludit;
Spes iubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit: addocet arteis.

Fœcun

Fœcundi calices, quem non fecere disertum?
Contractâ quem non in paupertate solutum?

CAPVT XV.

De COMPARATIS.

COMPARATIO est, cùm duæ, pluresve res in re alia tertia conferuntur. Illius tria sunt genera, à pari ad par, à maiori ad minus, à minore ad maius.

Primum est quando contendimus, vt quod in re vna valet, valeat etiam in pari. Hinc illud D. Pauli, *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Hinc Mart. se Maximo parem esse probauit à paribus effectis, lib. 2. Epig. 18.

Rom. 6.

Capto

Capto tuam, pudet heu! sed capto
Maxime cœnam:
Tu captas aliam; iam sumus
ergo pares.
Manè salutatum venio, tu dice-
ris iste.
Antè salutatum; iam sumus
ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidique
anteambulo regis:
Tu comes alterius; iam sumus
ergo pares.

Hinc Ouidius plurimis se malis affici probauit, lib. 5. Trist. Eleg. 2.

Littora quot conchas, quot amœ-
na rosaria flores,
Quótve soporiferum grana
papauer habet,
Sylua feras quot alit, quot pisci-
bus vnda natatur,
Quot tenerum pennis aera
pulsat auis:
Tot premor aduersis, quæ si com-
prendere coner,

Icarea numerum dicere coner aqua.

Secundum Comparationis genus est, à maiori ad minus, cùm contendimus, vt quod in maiori re valet, valeat etiam in minori. Hinc est illud, *Si iustus vix saluabitur, impius & pecator, vbi apparebit.* Et illud, *Si ego Dominus & Magister vester laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Hinc etiam illud Terentij, *Parentem si non fert suum, neminem feret.*

1.Pet. 4.

Ioan. 13.

Tertium Comparationis genus à minori ad maius, cùm contendimus, vt quod in minori re valet, valeat etiam in maiori: vt illud, *Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos,* &c. Et illud, *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis.* Hinc etiam illud Horatij lib.1.Epist.2.ad Lolliũ,

Mat. 6.

Ioan. 3.

Vt iugulent homines surgunt de
nocte latrones:
Vt teipsum serues, non expergi-
sceris. —

Ad hoc caput reducitur EXEMPLVM. Est autem Exemplum alicuius facti, aut dicti præteriti, cũ certi authoris nomine positio. Differt à Comparatione: nam quidquid est exemplum, est comparatio; sed non quidquid est comparatio, est exemplum. Differt etiam à similitudine, vt facile constat ex vtriusque definitione. Est triplex, vt Comparatio. Ab exemplo sumitur vis illa argumenti, *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.* Et in Actis ab exemplo argumentatus est Gamaliel. *Ante hos dies extitit Theodas,* &c. Hinc est illud Virgilij lib. 1. Mat. 12. Cap. 5.

Pallas

—Pallas ne exurere classem
Argiuum, atque ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?
Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Disiecitque rates, euertitque æquora ventis,
Ast ego quæ Diuûm incedo Regina, Iouisque;
Et soror, & coniux, vnà cum gente tot annos
Bella gero.

Huc etiam spectat PARABOLA, Latinè *collatio*, vel *comparatio*. Quæ est fictum aliquod exemplum, sine loci, aut temporis, aut rei alicuius specialis enunciatione. Quæ dicendi ratio in sacris litteris est frequentissima. Vnde D. Paulus per parabolam figuli probat Deum nō posse accusari in reprobatione, *An non habet potestatem figu-*

Rom. 9.

lus

lus ex eadem massa,&c. Hinc per parabolam filij Prodigi diuina clementia, per decem Virginum hominum vigilantia, per iniqui Villici iniuriarum remissio commendatur.

Ad hoc caput spectat Apologus, qui & fabula, narratio ficta similitudinem exprimens veritatis. Vt illa de arboribus, quæ voluerunt sibi regem eligere; quo argumento vsus est Ioatham apud Sichimitas, contra fratrem suum Abimelech. *Iud. 9.* Apologum etiam membrorum corporis attulit D. Paulus ad vnionem, & mutuum obsequium ministrorum Ecclesiæ probandum. *1.Cor. 12.*

Huc etiam accedit ARGVMENTVM sumptum ab impossibili. Vt illud Virgilij Ecl. 1.

Antè leues ergo pascentur in
æthere cerui,
Et freta destituent nudos in lit-
tore pisces:

Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim:
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

Hinc etiam Ouidianum illud lib. 4. Trist. Eleg. 1.

Vere priùs flores, æstu numerabis aristas,
Poma per autumnum, frigoribúsque niues,
Quàm mala, quæ patior.

Luc. 21. Hinc etiam illud, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

CAPVT XVI.

De ARGVMENTIS ASSVMPTIS.

ARGVMENTA diximus esse duplicia, Insita, & assumpta. Illa SVMVNTVR

ex locis Topicis, quos hactenus explicuimus; hæc, quæ appellantur etiam remota & inartificialia, extrinſecus ASSVMVNTVR, nempe ab aliorum teſtimonio & authoritate. Hæc eſt duplex, diuina, quæ Dei Opt. Max. veritati, & majeſtati innititur; & humana, quæ in hominum teſtimonio, & dignitate conſiſtit. Hæc argumenta ab auctoritate deprompta maximo in vſu ſunt ſacris oratoribus: quorum fontes & locos breuiter aperiemus.

Primus eſt teſtimonium Scripturæ ſacræ, quæ eſt auctoritas Dei, qui cùm ſit ſumma ſapientia, & bonitas ſumma, nec falli, nec fallere poteſt. Habent autem diuinę litterę duplicem ſenſum, myſticum, & hiſtoricum. Ille, quia occultus (id enim ſignificat myſticus) & latens eſt ſub ipſa verborum cortice, va-

rius ac multiplex, valet plurimùm ad instituendum, ad corrigendum, ad mouendum; non tamen ita ad docendum, ad confirmandum aliquod fidei dogma est accommodatus vt historicus; nisi certò constet ex alio Scripturæ loco, sensum illum mysticum à Spiritu sancto intentum esse. Vt illud Deuteronomij, *Non alligabis os boui trituranti*, explicuit D. Paulus de ministris Euangelij. At ex historico, si Ecclesiæ, vel sanctorum Patrum interpretationi cõsonus sit, firmissimum sumitur argumentum. Cuius vim capiat orator aliquando ex vocibus, & phrasibus sacrę Scripturæ, sæpe ex antecedentibus & consequentibus verbis, & rebus ipsis circunstantibus.

Cap. 25.

1.Cor. 9.

Secundus locus est traditionis vniuersalis Ecclesiæ, quæ traditio propè parem habet authoritatem cum litteris sacris:

Multa enim Apostoli à Christo acceperunt, vt quę ad Sacramenta pertinent, alia ipsi à se tradiderunt, vt quadragesimale ieiunium, &c. Hinc D. Paulus, cùm rationibus probasset, fœminam non debere in Ecclesia orare aperto capite, subdit, *Si quis videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* 1. Cor. 11.

Tertius locus est auctoritas & consensus vniuersalis Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, vt asserit D. Paulus. 1. Tim. 3.

Quartus locus est auctoritas summi ac Romani Pontificis, qui cùm ex munere suo aliquid statuit, ac definit, siue ad fidem pertineat, siue ad mores, errare non potest. Atque hac de causa ex Pontificum summorum decretis, ad omnes causas sumuntur fortissima argumenta.

Quintus locus auctoritas sacrorum Conciliorum, præcipuè vniuersalium, in quibus multa inueniuntur argumenta, tum ad explicanda, & confirmanda fidei nostræ mysteria, tum ad mores corrigendos & informandos.

Sextus locus est auctoritas sanctorum Patrũ, quorum plurimi Apostolorum temporibus proximi, ipsa antiquitate venerandi, multi Pontificali dignitate conspicui, alij martyrij gloriâ celebres, Conciliorum approbatione, aliorum laudibus, & totius orbis consensu insignes, solida eruditione, maxima in studiis diligentia, vitæ Christianæ admiranda perfectione, & integerrima morum sanctitate illustrissimi vixerunt. Nec necesse semper erit eorum sententias Latinè proferre: si autem in ipsis verbis aliquid sit, aut forte, aut acutum, aut venustum, quod

ipsam sententiam illustret magis, ipsa quoque verba afferantur, ac tunc quidem cum insigni laude, & iucunda auctoris commendatione: nec multus sit in citandis minutis numeris, nisi vrgeat specialis aliqua causa; satis sit librum citare.

Septimus sit cùm argumentum ducitur ex testimonio doctorum Scholasticorum, hi enim non solùm authoritate pugnãt, sed omnium rerum, & rationum momenta expendunt, & examinant.

Octauus potest esse, cùm argumenta ex eorum auctoritate sumimus, qui ius Pontificium explicant, qui multa persæpe afferunt ad Christianæ disciplinæ institutionem maximè necessaria. Atque huc etiam spectant legum ciuilium peritorum testimonia, qui imperiales ac regnorum leges exponunt, quarum plurimæ cùm ad ciues in

officio continendos spectent, si loco, & tempore afferantur, suum etiam robur, & ornamentum orationi afferent.

Nonus ex historiis ecclesiasticis; cùm enim historia magistra vitæ sit, multa docet ad hominum mores instituendos vtilissima. Humana & prophana historia suam etiam habet laudem, præcipuè cùm ad comparationem affertur: vt si velis Scæuolam cum D. Laurentio comparare; improbationibus; exhortationibus, &c.

Decimus, ex Philosophis, iis præsertim, qui egregiè de virtutibus scripserunt: aliorum autem Ethnicorum testimonia, maximè Poëtarum, rarissimè à sacro oratore adhibeantur, ac tunc suppresso illorum nomine, nec illa Philosophorum adeò frequenter; quid enim externa quęramus, cùm testimoniis in Chri-

ſtiana Religione domeſticis abundemus.

Capvt XVII.

De aliis locis assvmptis.

Alii etiam loci frequentes ſunt ſacris oratoribus, qui licèt vel ad Topicos, vel ad ſuperiores aſſumptos referri poſſent, perſpicuitatis gratiâ diſtinguentur.

Primus eſt Dei promiſſio, cùm aliquid factum eſſe, vel futurum dicimus, quia Deus promiſit, qui cùm verax, & potens ſit, nec fallet, nec deficiet. Vnde ad ſpem veniæ excitari poteſt peccator illis verbis, *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Iſa. 1.

Secundus eſt comminatio Dei, qua deterreri poteſt pecca-

tor: vt illa ex eodem loco, *Si me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.*

Tertius est prędictio prophetica, & vaticinium, quo argumento sacri Euangelistæ, & sancti Patres sæpius vtuntur; valet enim plurimum, tum ad fidem, tum ad mores. Vt illud, *Ecce virgo concipiet.* Oraculum Sibyllarum, de quibus multa tam apud nostros, quàm externos scriptores, plurimum vsi sunt primi Patres aduersùs Gentiles pro Christiana religione pugnantes. Lege Tertullianum, Lactantium, Arnobium, & alios.

Mat. 1. Isai. 7.

Quartus est figura, siue typus, qui differt à vaticinio: nam hoc in verbis, figura in factis consistit. Vnde Christus Dominus se in Crucem efferendum esse probauit. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto,* &c.

Ioan. 3.

Quintus est signum sacrum,

vel ſacramentum, quod eſt ceremonia ſacra externa, ad aliquid ſignificandum à Deo inſtituta. Vnde ex Baptiſmo argumentatur D. Paulus, baptizatos debere cum ſanctitate viuere. *Rom. 6.*

CAPVT XVIII.

De INVENTIONE *in genere* EXORNATIVO.

QVANVIS ex ſupradictis locis tam internis, quàm externis ad omnia cauſarum genera argumenta peti poſſunt, diuerſa cauſarum genera proprias habent, & peculiares argumentorum ſedes, quas breuiter etiam attingemus.

In genere EXORNATIVO laus hominis à tribus ducitur temporibus, (vt dictum eſt in progymnaſmatis) ante natiuita-

tem, in vita, & post mortem. Ante natiuitatem, à maioribus, parentibus, patria, genere, si quid mirabile, si quod oraculum, aut vaticinium præcessit: vt in natiuitate D. Ioannis Baptistæ. In vita, à bonis, quæ triplicia sunt, fortunæ, vt amici, honores, opes, potentia, & alia huiusmodi; bona corporis sunt valetudo, forma, robur. Hæc bona corporis, & fortunæ, si quis habuerit, laudandus sit, si iis modestè vsus fuerit, si illis caruerit, quòd patienter tulerit, vel liberaliter reliquerit, quæ maior laus esse solet. Bona animi sunt siue à natura, vt ingenium, memoria, eloquentia, facilitas, &c. siue ab industria, vt scientię, artes; siue à diuina gratia, vt virtutes, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, ad quas multæ virtutum species referuntur; sed maior laus ex Christianis virtu-

tibus

ibus dimanat, vt sunt, fides, pes, charitas, gratia, dona Spiritus sancti; laudantur etiam facta, dictaque egregia, officia cum laude administrata, &c. Post mortem laudatur à populari luctu, & laude, à pompa funeris, a miraculis, ab iis, quæ gesta, vel scripta reliquit, &c.

Omnes autem laudationes debent ad aliquam persuasionem referri. *Primò* ad admirationem gratiæ Dei, ac virtutis, & diuinæ liberalitatis in Sanctos, pręcipuè Christi Domini gloriam. *Secundò* ad ipsius, qui celebratur, amorem, & beneuolentiam. *Tertiò* ad imitationem, ostendẽdo virtutis facilitatem ex propositis exemplis. Nec solùm personæ laudantur, sed etiam earum res gestæ, ac virtutes, quod est pręcipuum caput ad laudandas personas. Hinc Dauid mansuetudo, patientia Iob, Ioseph castitas commenda-

tur.

tur. Ad quas laudes magna est in locis Topicis, & remotis materia. Maximè autem ad Dei laudes ex eius attributis, multis, & maximis, & ab effectis, quæ sunt opera eius. Ad beatissimæ Virginis commendationem, præter communes Sanctorum laudes, quæ in illa sunt excellentissimæ, spectant illa mirabilia, & magna, quæ fecit illi, qui potens est. Ad Angelorum laudes insignes virtutes, & dotes maximæ, muneraque diuina, quæ in illos idem summus rerum artifex contulit.

Factum aliquod potest amplificari ab honesto, vtili, iucundo, pio, sed maximè à circunstantiis: vt si quis Christi cruciatus exaggeret, annotet circunstantias: Quis patitur, quàm acerba, pro quibus, à quibus, quomodo, quando, vbi, cur. Laudantur etiam speciales ipsæ virtutes, & hominum status, vt patientia à

Cypriano, virginitas ab Ambrosio, sacerdotium à Chrysostomo, vita solitaria à Basilio, religiosus status à nostro Plato excellentissimè. Ad quæ omnia valent præter communes locos, nota illa capita persuasionis vtile, iucundum, honestum. Vrbes similiter atque homines laudantur à tribus illis temporibus; post mortem enim per coniecturas inquiritur, quantum detrimenti regnum caperet, si vrbs, quæ commendatur, casu aliquo euerteretur: bona præterea animi, ex quibus præcipua laus hominis petitur, considerantur in ciuibus, qui sunt velut animus ciuitatis. Ad res alias laudandas, vt tempora, loca, & alia huiusmodi amplè argumentorum seges est in locis Topicis.

CAPVT XIX.

De genere DELIBERATIVO.

HVIVS generis loci ad duo capita referuntur, scilicet verum, & bonum. Illud est obiectum intellectus, qui priùs debet informari; hoc voluntatis, quæ post fidem intellectui factam, est alliciendà.

Ad probandum aliquid esse verum præter rationes ex Topicis assumendas, valent argumenta ex locis externis petenda, maximè ex testimoniis sacrarum litterarum, Conciliorum sanctorum Patrum: valent etiam naturæ lux, conscientiæ nostræ testimonium, quod pluris est quàm mille testes, lex humana, consuetudo, experientia, sensus etiam ipsi.

Ad ostendendum aliquid esse bonum, probabitur esse hone-

ſtum, pium, æquum, vtile, iucundum, laudabile, neceſſarium; ſub honeſto continentur omnes virtutes, & inquirendum ſingulatim id quod ſuadetur, quàm ſit cum prudentia, cum charitate, & aliis virtutibus coniunctum.

Honeſtum etiam continet omnia, quæ cum virtute coniuncta ſunt, eámque conſequuntur, nempe pax, tranquillitas mentis, tuta conſcientia, honor, fama, gloria, &c.

Sub honeſto itidem intellige iuſtum & æquum, ſub quo ſunt facta, merita, officia, quæ debemus Deo, & hominibus.

Sub iucundo eſt lætum, ſuaue gratulatorium, quod mœrorem auferat, & corpori aliquam, animæ verò maximam afferat voluptatem.

Vtile eſt, quod bonis, ſiue fortunæ, ſiue corporis, ſiue animi deſeruit.

Neceſſa

Necessarium est, sine quo viuere, & salui, & tuti esse non possumus.

Putatur etiam esse necessarium, sine quo priuamur maximis commodis; quod enim est maximè vtile, pro necessario habetur.

Facile est quod breui tempore, minimo labore, exiguis expensis fieri potest; quod etiam probatur ex causis efficientibus, & adiuuantibus, quas si ostendamus suppetere, rem factu facilem concludimus.

Præter hos locos seruient etiam alij extrinseci, si ostendamus Dei esse voluntatem, præceptum, promissionem, præmia, mercedem, & contra non facientes minas Dei, spem boni successus, vtilitatem in plurimos redundaturam, Dei auxilium non defuturum. Si autem aliquid dissuadendum est, contraria his,

quæ diximus, afferenda sunt.

Sæpe etiam contingit honestatem cum vtilitate pugnare, necessitatem cum facilitate, & aliis opponi, & tunc amplificanda sunt ea, quæ insunt in re, de qua deliberatur, minuenda ea, quæ desunt, & probandum etiam diligenter maiora semper anteponenda minoribus, & honestatem præferendam vtilitati.

CAPVT XX.

De genere REPREHENSORIO.

HOc genus partim spectat ad suasionem, partim ad vitiorũ, & personarum vituperationem; qui enim reprehendit, dehortatur alios ab ipsis rebus, quas vituperat, & contrarium suadere nititur. Loci, ex quibus omnis correctio, & roborari, &

ampli

Necessarium est, sine quo viuere,& salui,& tuti esse non possumus.

Putatur etiam esse necessarium, sine quo priuamur maximis commodis; quod enim est maximè vtile,pro necessario habetur.

Facile est quod breui tempore, minimo labore, exiguis expensis fieri potest; quod etiam probatur ex causis efficientibus, & adiuuantibus,quas si ostendamus suppetere, rem factu facilem concludimus.

Præter hos locos seruient etiam alij extrinseci, si ostendamus Dei esse voluntatem, præceptum,promissionem, præmia, mercedem,& contra non facientes minas Dei,spem boni successus, vtilitatem in plurimos redundaturam, Dei auxilium non defuturum. Si autem aliquid dissuadendum est, contraria his,

quæ diximus, afferenda ſunt.

Sæpe etiam contingit honeſtatem cum vtilitate pugnare, neceſſitatem cum facilitate, & aliis opponi, & tunc amplificanda ſunt ea, quæ inſunt in re, de qua deliberatur, minuenda ea, quæ deſunt, & probandum etiam diligenter maiora ſemper anteponenda minoribus, & honeſtatem præferendam vtilitati.

CAPVT XX.

De genere REPREHENSORIO.

HOc genus partim ſpectat ad ſuaſionem, partim ad vitiorũ, & perſonarum vituperationem; qui enim reprehendit, dehortatur alios ab ipſis rebus, quas vituperat, & contrarium ſuadere nititur. Loci, ex quibus omnis correctio, & roborari, &

ampli

amplificari poteſt, ſunt omnes illi, ex quibus argumenta ad diſſuadendum ſumuntur, dum oſtendimus, quàm ſit illa res turpis, contra omne decorum, contra ius, & fas diuinum & humanum; quanta ſecum adducat detrimenta & animæ, & corporis, & externis aliis bonis; quantis ſit inuoluta difficultatibus, & referta periculis, quàm ignominioſa, quantus ſequatur conſcientię cruciatus, quanta pœna.

Ex locis extrinſecis multa colligi poſſunt; ſed nihil ſic corrigendum vrget, ac ſacrarum litterarum teſtimonium, quarum non ſolùm ſententiæ, ſed ſingula verba expendantur, quibus ſi addantur exempla, Patrum authoritas, rationum efficacia, non poterit reprehenſio non eſſe efficax, præſertim ſi addantur affectus vehementes, de quibus poſtea. Et quemadmodum rarò to-

ta oratio in reprehensionibus posita est, ita ex altera parte nullum est orationis genus, quod non admittat aliquid ex hoc genere reprehensionis.

CAPVT XXI.

De genere CONSOLATORIO.

HOc genus ad deliberatiuum etiam spectat, atque inde plura argumenta sumenda. *Primò* ab honesto, quàm gloriosum, & cum virtute coniunctum sit mala fortiter tolerare. *Secundò* à iusto, nempe dignum inflictum supplicium commissis esse peccatis. *Tertiò* ab ipsa rerum natura, nempe quòd talia, quæ vulgo mala dicuntur, non sint verè mala, tum quia à Deo authore proueniunt, tum quòd multa bona pariunt. *Quartò*,

ſicut contra bona temporalia, quorum plerunque amiſſio ne dolemus, non ſunt verè bona, quibus ſæpe optimi carent, peſſimi abundant, nec iis meliores fiunt. *Quintò*, illa commodata eſſe, & repetenda à Deo, qui dedit, cùm voluerit. *Sextò*, nihil ſine ſummo Dei conſilio, ac prouidentia accidere, atque ideo euentus cauſæ inquirendi. *Septimò*, à fine, ob quem diuina prouidentia voluit nos calamitatibus affligi, quæ eſt eius gloria, & vtilitas noſtra. Aduerſis enim rebus boni illuſtrantur, mali perſæpe corriguntur, atque, vt inquit S. Auguſtin. *Tam bonus Deus eſt, vt niſi potens eſſet ex noſtris malis bona facere, nullo modo permitteret mala.* *Octauò*, ex eo quòd omnes pios, & iuſtos velit aduerſa tolerare, & neminem immunem eſſe. *Nonò*, à certo, & præſenti
Pſ. 90. Dei auxilio, qui inquit, *cum ipſo*

ſum

ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Præſertim cùm ipſe ſit pater, paſtor, medicus noſter, defenſor, murus, ſcutum, refugium, vmbraculum ab æſtu; vnde meritò fiducia quædam filiorum naſcitur, quia ipſi eſt cura de nobis. *Decimò*, à temporis breuitate, quo malum durat, & à ſpe futuræ mercedis. Id enim quod in præſenti eſt, momentaneum, ac leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, vt inquit Paulus. 2. Cor. 4.
Vndecimò, exempla proponenda ſunt, & pręcipuè Sanctorum. Excitandus eſt maximè, qui mœret, ad amorem Dei; nihil enim æquè ac ille laborem, & triſtitiam minuit.

CAPVT XXII.

De ORATIONE FVNEBRI.

HVIVS orationis genus mixtum solet esse ex suasorio, & exornatiuo. Nam defunctus commendatur, amicorum animus lenitur, auditor ad imitationem excitatur, pro defunctorum animabus suadetur suffragium. Ad quæ omnia, ex iis quæ in locis omnibus, & in causarum generibus dicta sunt, satis amplè suppetit argumentorũ seges; sed ad defunctorum animas, quæ purgatorio igne crucientur, precibus adiuuandas valebit. *Primò*, si proponatur, quanta sit laus humanitatis, & miserationis. *Secundò*, quòd erga animas purgatorij præcipuè exercenda sit. *Primò*, propter summam earum necessitatem. *Secundo*,

cundò, propter ipſarum merita. *Tertiò*, propter beneficij magnitudinem. *Quartò*, propter ſuffragij conferendi facilitatem. *Quintò*, propter ſpem mercedis propriæ; nullus enim ita gratus accepto beneficio, ac anima beata, cui eſt agnitio beneficij clariſſima, voluntas promptiſſima, facultas ad remunerandum maxima.

CAPVT XXIII.

De genere DIDASCALICO & INSTITVTIVO.

IN hoc genere, ſiue tractetur, vt aliquando contingit, ſimplex quæſtio, quæ ad cognitionem pertinet, vt de purgatorio, de cælesti gloria; ſiue composita, quæ ad mores etiam ſpectat: vt, an caſtitas præferenda matri-

monio, argumenta sumenda sunt ex locis, tam insitis, quàm remotis. Consideranda item sunt quatuor illa vulgata quæstionum capita, An sit, quid sit, quale sit, & propter quid sit: & singula suis rationibus, & argumentis comprobanda, non solùm ad eliciendam veritatem, sed ad animos etiam audientium permouendos. Non est multum dissimile genus dicendi institutiuum, continens vitæ rectè agendæ institutionem, & actionum Christianarum disciplinam. Quo in genere aliquando tota versabitur oratio, frequentiùs pars aliqua illius; nec enim auditores solùm mouendi sunt ad præclarè vitam instituendam; sed etiam ducendi in viam, & docendi rationes, quibus bene iuuant.

Huius autem generis præcipua sunt capita. Explicauit in

primis ipſius præcepti, vel conſilij, vel virtutis, vel rei, quam docet, vis in quo conſiſtat. Nec ſolùm hoc, ſed praxis item aperiatur in præcepti executione ſeruanda; modus præſcribatur paucis, & dilucidis verbis. Tollendæ ſunt difficultates, quæ ſolent occurrere; docenda adiumenta, & remedia, quæ rei executionem faciliorem reddant; capita deinde generis deliberatiui percurrenda.

CAPVT XXIV.

De AFFECTIBVS MOVENDIS.

SECVNDA PARS Inuentionis.

CVM finis Rhetoricę ſit perſuadere dictione, id eſt, fidem facere auditoribus, atque

eorum animos permouere: quæ duo Inuentionis pręceptis fiunt; ac de fide facienda hactenus diximus, restat, vt secundam Inuentionis partem de mouendis affectibus explicemus, in quo maxima vis consistit oratoris præcipuè Ecclesiastici. Nam, vt inquit, Ciceronem & Quintilianum secutus, D. August. 4. de doct. Christ. cap. 13. *Probet orator, vt instruat, delectet, vt teneat, moueat, vt vincat.* Huc, inquit Quintilianus, lib. 6. cap. 2. *incumbat orator, hoc opus eius, hic labor est, sine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, & ingrata sunt: adeò velut spiritus operis huius, & anima est in affectibus.*

CAPVT XXV.

AFFECTVS *quid ſit, vbi, & quotuplex.*

AFFECTVS eſt animæ ſentientis ex alicuius rei bonæ, vel malæ opinione nata commotio. Vnde conſtat eius obiectum eſſe vel bonum, quod ſequimur, vel malum, quod fugimus. Nam, vt inquit Ariſtot. *quod eſt in cogitatione affirmatio, & negatio, eſt in appetitu proſecutio, & fuga.*

Eius ſubiectum eſt appetitus ſentiens, qui eſt duplex, concupiſcibilis, & iraſcibilis. Nam bonum vel malum apprehendi poteſt, vt tale & facile, aut vt arduũ & difficile ad conſequendum, vel fugiendum; ſi priore modo obiicitur, ad illud fertur concupiſcibilis; ſi poſteriore, iraſcibilis. Cùm ſpecies aliqua boni

eorum animos permouere: quæ duo Inuentionis pręceptis fiunt; ac de fide facienda hactenus dixerimus, restat, vt secundam Inuentionis partem de mouendis affectibus explicemus, in quo maxima vis consistit oratoris præcipuè Ecclesiastici. Nam, vt inquit, Ciceronem & Quintilianum secutus, D. August. 4. de doct. Christ. cap. 13. *Probet orator, vt instruat, delectet, vt teneat, moueat, vt vincat.* Huc, inquit Quintilianus, lib. 6. cap. 2. *incumbat orator, hoc opus eius, hic labor est, sine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, & ingrata sunt: adeò velut spiritus operis huius, & anima est in affectibus.*

CAPVT XXV.

AFFECTVS *quid sit, vbi, & quotuplex.*

AFFECTVS est animę sentientis ex alicuius rei bonæ, vel malæ opinione nata commotio. Vnde constat eius obiectum esse vel bonum, quod sequimur, vel malum, quod fugimus. Nam, vt inquit Aristot. *quod est in cogitatione affirmatio, & negatio, est in appetitu prosecutio, & fuga.*

Eius subiectum est appetitus sentiens, qui est duplex, concupiscibilis, & irascibilis. Nam bonum vel malum apprehendi potest, vt tale & facile, aut vt arduũ & difficile ad consequendum, vel fugiendum; si priore modo obiicitur, ad illud fertur concupiscibilis; si posteriore, irascibilis. Cùm species aliqua boni

obiicitur, motus in ipſo appetitu incipit ab amore & complacentia quadam obiecti boni. Ad hoc ſi eſt abſens, fertur per deſiderium, quod naſcitur ex opinione boni futuri; ſi bonum eſt præſens, afficitur animus lætitia & gaudio, quod naſcitur ex opinione boni præſentis. Si ſpecies aliqua mali obiiciatur, ſtatim gignitur odium, & auerſio, quæ ſunt contraria amori & complacentiæ: ſi malum ſit abſens, mouetur animus ad fugam: ſi ſit præſens, ad dolorem, & triſtitiam. Si autem in bono appetendo, vel fugiendo malo appareat difficultas, alij mouentur affectus: ſi difficultas ex eo naſcatur, quòd aliquis impedimento ſit ad bonum conſequendum, exurgit in illum ira: ſin autem bonum ipſum, & malum ſua natura difficile, & arduum ſit, illud vt acquiratur, hoc vt fugiatur; ſi

hæc

hæc difficultas in bono comparando superari potest, nascitur spes; si non potest, desperatio. Si res mala sit, & vix euitari possit, nascitur timor; si potest euitari, existit audacia, siue confidentia.

Vndecim igitur sunt præcipui affectus, sex in concupiscibili, Amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, & tristitia. Quinque in irascibili, Ira, spes, desperatio, timor, audacia.

Ad affectus referuntur alij minùs principales; ad amorem mansuetudo, seu lenitas; gratia, vel gratitudo; desiderio ambitio, & superbia; odio inuidia, iræ indignatio, excandescentia; fugæ inimicitia, timori pudor, seu verecundia; spei fiducia adiacet. Ad tristitiam refertur pœnitentia, item accidia.

Affectus etiam diuiduntur in lenes, quos Ethicos appellant Græci, & concitatos, & vehe-

mentes, quos patheticos dicunt. Primi ſuauiter inclinant animum, ſecundi etiam obluctantem impellunt. Hi autem affectus ſunt Eccleſiaſtico oratori maximè mouendi, amor Dei, & Chriſti Domini; amor rerum ſpiritualium, odium peccati, deſiderium & ſpes futuræ vitæ, ſollicitudo eius acquirendæ, contemptus ſæcularis vanitatis, opum, voluptatum, honorum, dignitatum; gaudium ſpirituale, timor iudiciorum Dei, ac pœnarum, ſpes diuinæ miſericordiæ, pudor rerum turpium, commiſeratio, zelus gloriæ Dei, & ſalutis animarum, indignatio, & ira bona, admiratio, gratitudo, imitatio, & ſi qui ſunt alij.

Ex altera parte affectus compeſcendi ſunt, amor ſui, amor laſciuus, concupiſcentia inordinata opum, dignitatum, delectatio peruerſa, lætitia diſſoluta, triſti-

tia,

tia inordinata, timor vanus, desperatio, audacia immodica, ira effrænis, vltionis libido.

CAPVT XXVI.

AFFECTVS *quánam ratione* MOVENDI.

SVMMA (vt inquit Quintilianus) circa mouendos affectus in hoc posita est, vt moueamur ipsi, & à tali animo proficiscatur oratio, qualem facere auditorem volet: commotus autem, & bene affectus orator ad dicendum accedet, si priùs ipse secum rerum momenta, & circumstantias omnes expenderit, & decoxerit: si rerum absentium imagines ita repræsententur eius animo, vt eas cernere oculis, ac pręsentes habere videatur: si rem seriò agat, nec vt à se alienam, sed vt suam, & propriam. Quî

enim fieri poteſt, vt Eccleſiaſti-cus orator non ita ardeat, vt incendat auditores, ſi illum Chriſti charitas vrgeat, ſi periclitãtes de æterna ſalute fratres ſuos proponat, ſi Chriſtum pro eis morientem intueatur? Ægrè autem poterit voluntas commoueri, niſi priùs intellectus bene doceatur. Sit autem doctrina non valdè difficilis, nec quæ in ſpeculationibus ſita ſit; hæc enim potius extinguit motum, quàm adiuuat. Et quanuis in fine orationis magis mouendi ſint affectus, certum tamen Rhetoricæ præceptum eſt, per totam orationem eſſe ſpargendos. Videat tamen orator, cùm auditores cœperint commoueri, ne aliquid intermiſceat, quo tepeſcat affectus, vt eſt expoſitio alicuius loci obſcurioris, vel quæſtio aliqua ſcholaſtica, vel, quod peius eſſet, aliquid indeco-

rum

rum, aut ridiculum.

Ipſa oratio, quos paritura eſt, debet affectus concipere, & ſeſe in varias figuras transformare, vt dicetur in ſexta Rhetoricæ parte.

Ipſe etiam pronunciandi modus multum adiuuat motum; in lenibus affectibus debet eſſe vox lenta, potius quàm nimis accelerata; in grauioribus concitata, & vehemens. Ad mouendos autem audientium animos valent plurimum amplificationes; quapropter de variis illarum generibus agemus.

CAPVT XXVII.

De prima AMPLIFICANDI ratione.

AMPLIFICATIO eſt grauior quædam argumentatio, quæ motu animorum conci-

liat in dicendo fidem.

Ea petitur ex iisdem locis, ex quibus argumenta dimanant, non tamen ex omnibus, sed ex illis, qui vberiorem dicendi segetem præstare possunt.

Prima sumitur à definitionibus conglobatis. Fit autem cùm plures definitiones, seu descriptiuæ, seu metaphoricæ congregantur, nam definitio essentialis, vna tantùm est & simplex: vt illa Ciceronis Amplificatio, *Tibine vilis est illa doctrina Rhetorica, quæ sit orandi facultas, ars bene dicendi, scientia grauiter, & copiosè differendi, inueniendi magistra, atque disponendi, cum eloquutione, memoria, atque pronunciatione, quæ dicit accommodatè ad persuadendum, quæ docet, mouet, atque delectat?* Et illa beati Iudæ Apostoli de Hæreticis, & sceleratis hominibus, *Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circunfe-*

runtur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ: fluctus feri maris, spumantes suas confusiones, sydera errantia, &c.

CAPVT XXVIII.

De secunda AMPLIFICANDI *ratione.*

SECVNDA AMPLIFICANDI ratio sumitur à distributione, vel totius in partes, vel generis in species, quando id quod summatim dici potest, laciùs per partes explicatur, quanuis illas omnes necesse non sit enumerare. Hinc Persius varia hominum studia amplificauit, satyra 5.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus,
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Mercibus hic Italis mutat sub
sole recenti
Rugosum piper, & pallentis gra-
na cymini;
Hic satur irriguo mauult tur-
gescere somno;
Hic campo indulget, hunc alea
decoquit; ille
In Venerem est putris, &c.

Hinc D. Paulus mirificè amplificauit malos ex cælesti regno excludendos esse. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

1. Cor. 6.

Cap

CAPVT XXIX.

De tertia AMPLIFICANDI *ratione.*

SIMILITVDINES, ſi frequententur, non parum augent orationem, ex quibus aggregatis tertia ſumitur AMPLIFICANDI ratio, vt illa Claudiani de 4. Honorij conſulatu,

Vile latens virtus, quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit? obſcura veluti ſine remige puppis,
Vel lyra, quæ reticet, vel, qui non tenditur, arcus.

Et illa, *Quid nobis profuit ſuperbia; aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, aut tanquam auis, quæ tranſuolat in* *Sap. 5.*

aëre,

aëre, aut tanquam sagitta immissa in locum destinatum.

Capvt XXX.

De quarta AMPLIFICANDI *ratione.*

HÆc sumitur ex dissimilium, repugnantium, & contrariarum rerum conflictione. Vt illa Ciceronis in Catilinam orat. 2. *Hoc verò quis ferre poterit inertes homines fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebrios sobriis, dormientes vigilantibus.* Et illa Ouidij de Chao. 1. Met.

Obstabátque aliis aliud, quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Hinc feruens illa Diui Pauli

oratio, *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles.* Et paulo pòst, *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus*, &c. 1. Cor. 4.

CAPVT XXXI.

De quinta AMPLIFICANDI *ratione.*

HÆc petitur ab Adiunctis, quoties rem non simpliciter exponimus, sed seu coloribus expressam in tabula spectandam proponimus. Hinc inuidia describitur ab Ouidio 2. Met. Fab. 12.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes;

Pecto

Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno;
Risus abest, nisi quem visi mouere dolores,
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis;
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque, & carpitur vna,
Suppliciúmque suum est.

Esth. 1. Ex hoc loco opiparum illud conuiuium Assueri regis, & conuiuij locus depingitur.

Capvt XXXII.

De sexta amplificandi *ratione.*

Cavsæ plurimum amplificant orationem, cùm vnius rei plures rationes aggregamus. Hinc Virgilius Æneæ tempestatem exaggerauit, lib. 1.

venti

— venti velut agmine facto.
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant,
Incubuere muri, totúmque à sedibus imis
Vna Eurúsque, Notúsque ruunt, crebérque procellis
Africus, & vastos voluunt ad littora fluctus.
Insequitur clamórque virum, stridórque rudentum,
Eripiunt subitò nubes cœlúmque diémque, &c.

Hinc Rex Antiochus tristitiæ, & languoris, in quem deciderat, plures adiungit causas, cùm se iam morti proximum intueretur. *In quantam,* inquit, *tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea: nunc verò recordor malorum, quæ feci in Hierusalem, vnde abstuli omnia spolia aurea, & argentea,* &c. 1. Mach 6.

CAPVT XXXIII.

De septima AMPLIFICANDI *ratione.*

AB effectibus, & euentibus illa assumitur, cùm vnius rei plures affectus, & euentus adiunguntur, qui fuerint, vel esse possint. Vt Cicero contra Verrē, act. 7. *Constitue nihil opis esse in hac voce, Ciuis Romanus sum. Iam omnes prouincias, iam omnia regna, iam omnes liberas ciuitates, iam omnem terrarum orbem, qui semper nostris hominibus maximè patuit, ciuibus Romanis ista defensione percluseris.* Hinc Samuel Israelitas

1. Reg. 8. à Rege petendo deterrebat, mala plurima, quæ illis essent euentura, recensens. Hinc Moyses

Deu. 28. bona plurima, quæ euentura essent, diuinam legem obseruantibus, & mala, quæ violantibus, oratione grauissima proposuit.

CAPVT XXXIV.

De octaua AMPLIFICANDI *ratione.*

GRAVISSIMA est illa amplificatio, quæ è rerum diuersarum comparatione fit. Sic Cicero Imperatorem Iuris-consulto comparat. *Quî potest du-bitari, quin ad Consulatum adipi-scendum multo plus dignitatis affe-rat rei militaris, quàm iuris ciuilis gloria? Vigilas tu de nocte, vt tuis consultoribus respondeas; ille, vt eò quò intendit maturè cum exercitu perueniat: te gallorum, illum buc-cinarum cantus exuscitat: tu actio-nem instituis, ille aciem instruit: tu caues, ne tui consultores, ille ne vr-bes, aut castra capiantur: ille tenet et scit, vt hostium copiæ, tu vt aquæ pluuiæ arceantur: ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in re-gendis.* Hinc est vehemens illa

Pro

Ier. 2. Prophetæ oratio, qua populi Iſraëlitici perfidia deſcribitur, & Cap. 35. idem exemplo Rechabitarum eiuſdem inobedientiam, & intemperantiam amplificat. Augusti laudes Ouidius collatione Romuli amplificat, 2. Faſt.

Romule concedas, facit hic tua magna tuendo
Mœnia, tu dederas tranſilienda Remo.
Te Tatius, paruique Cures, Caninaque ſenſit;
Hoc duce Romanum eſt ſolis vtrumque latus.
Tu breue, neſcio quid, victæ telluris habebas:
Quodcunque eſt alto ſub Ioue, Cæſar habet.
Tu rapis, hic caſtas duce ſe iubet eſſe maritas;
Tu recipis luco, reppulit ille nefas.
Vis tibi grata fuit: florent ſub Cæſare leges;

Tu

Tu Domini nomen, Principis ille tenet.
Te Remus incusat, veniam dedit hostibus ille.
Cœlestem fecit te pater, ille patrem.

Ad hunc locum ſpectat plurium exemplorum inductio , ex qua grauis ſumitur amplificatio, qualis eſt illa, qua morti proximus Mathathias filios ad legis, & patriæ defenſionem pluribus appoſitis exemplis adhortatur. Et qua Æneas Sibyllam alloquitur; *ſi potuit manes*, &c. lib. 6. Virg. Poteſt etiam fieri vt exemplorum, ſic etiam comparationum inductio, vt elegans illa Ouidij , qua difficillima quæque tempore ſuperari probare contendit, lib. 4. Triſt. Eleg. 6.

1. *Mach* 2.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incurno colla premenda iugo.

Tem

Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit antè, manet.
Quæque sui iussis obtemperat Inda magistri
Bellua, seruitium tempore victa subit.
Tempus, vt extentis tumeat facit vua racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent.
Tempus & in canas semen producit aristas,
Et ne sint tristi poma sapore, facit.
Hoc dentem tenuat terram findentis aratri,
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam sæuas paulatim miti-

gat

gat iras,
Hoc minuit luctus, mœstaque
corda leuat.
Cuncta potest igitur tacito pede
lapsa vetustas
Præterquam curas attenuare
meas.

CAPVT XXXV.

De aliis AMPLIFICANDI *generibus.*

PRÆTER hæc Amplificationum genera, quæ ex locis
etuntur, quatuor alia afferun-
ur ab authoribus.

Prima amplificandi, vel mi-
uendi species est in ipso rei no-
ine, cùm affertur verbum aliud
gnificantius, pro minus signi-
canti: vt occisus pro cæsus, dis-
erptus pro vulneratus, quod
anifestius fit cùm verba verbis
omparantur. Vt Cicero in Ver-

rem, *Non furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionúmque, non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorúmque in iudicium adduximus.*

Deut. 32. Hinc grauis illa Domini comminatio, *Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & iis, qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Quibus verbis nescio quæ poterant inueniri acriora ad diuinam iram explicandam in sceleratos.

Fit etiam Amplificatio per incrementum, cùm paulatim crescit oratio, & ea quæ inferiora sunt, magna esse ostendimus, donec veniatur ad summum. Vt

Cicero in Verrem, *Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam, in crucem tollere.* Sic diuinus Propheta Ieremias plura Dei beneficia recensuit, vt acriùs oratio ad summum illud perueniret. *Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Aliquando ad id non per gradus itur, sed vno verbo, id quod est maximum, statim dicitur, vt ostendatur tantum esse, quantum augeri necesse non sit. Hinc illud, *Matrem tuam occidisti, quid dicam amplius? Matrem tuam occidisti.* Et illud Isaiæ, *A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.*

Cap. 2.

Cap. 1.

Alius amplificandi modus fit per ratiocinationem: cùm amplificatio alibi posita alibi valet; & vt aliud crescat, aliud augetur, atque hinc ad illud quod

extolli volumus, ratio deducitur. Hinc Polyphemi proceritas extollitur apud Virgilium lib. 3. Æneid.

Trunca manum pinus regit.

Et Ouidius 13. Metamorphoseos Fab. 8. de eodem,

Huc ferus ascendit Cyclops, mediúsque recedit.
Lanigeræ pecudes nullo ducente secutæ.
Cui postquam pinus baculi quæ præbuit vsum,
Ante pedes posita est, antennis apta ferendis,
Sumptaque arundinibus compacta est fistula centum,
Senserunt toti pastoria sibila montes:
Senserunt vndæ.

Hinc, vt Dauid pueri victoria
1. Reg 17. maior compareat, Philisthæi arma describuntur: Erat *Goliath altitudinis sex cubitorum, & palmi, & cassis ærea super caput eius, & lori-*

ca squamata induebatur; porrò pondus loricæ eius, quinque millia siclorum æris erat: & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius: hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium: ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri.

Alius amplificandi modus fit per congeriem, vel verborum, vel sententiarum idem significantium. Vt Cicero pro Ligario, *Quid tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi, quid cupiebas? quid optabas?* Hinc illud Prophetæ, *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.* Isa. 1.

CAPVT XXXVI.

Quæ sint in AMPLIFICATIONE *seruanda.*

IN AMPLIFICATIONE nihil debet esse imminutum, nihil concisum, omnia debent esse magna, atque ita, vt exuberet, & redundet (si fas est dicere) oratio.

Magna sunt aut natura, aut vsu. Natura, vt cælestia, tonitrua, imbres, tempestates, siderum, stellarúmque mutationes. Diuina, vt oracula, vaticinia, ea etiam, quorum obscuræ causæ latent, quæ in terris, mundóque admirabilia sunt: vt Cometes, cæli ardor, terræ motus, Solis ac Lunæ defectiones, & alia huiusmodi, quæ à vulgi cognitione remota sunt; vsu & consuetudine magna sunt, quæ possunt hominibus vel obesse, vel prodesse

vehementiùs: vt charitas in Deum, patriam, & parentes; amor in fratres, coniuges, liberos, & familiares; honestas in omni genere virtutum, & omnia reliqua, quæ magni ab hominibus æstimantur.

Duo autem sunt hominum genera, vnum nobile, & ingenuum, quod honestis rebus magis impellitur, & virtutem & gloriam aliis rebus præfert: alterum est agreste, & ignobile, quod rebus omnibus vtilitatem & vitæ commoda anteponit. Et videndum est, quæ apud hos magna, quæ apud illos sint, & sua singulis proponenda, quibus maximè commoueri sciamus.

Exornant plurimum Amplificationem vehementiores, incitatioréſque figuræ, vt Hypotyposis, Prosopopœia, Ethopoeia, Exclamatio, Apostrophe, Hyperbole, Interrogatio, Obsecra-

tio, Adiuratio, Optatio, Imprecatio, Admiratio, & aliæ similes, quæ, vt ardentiores animi affectus in oratore exprimunt, sic in auditore imprimunt.

Egimus hactenus de motu ad affectus in communi, sed quoniam vel tota, vel maxima orationis virtus in iis concitandis insit, speciales etiam locos assignabimus ad singulos affectus commouendos, vt hæc singularia, & illa communia præcepta orator obseruans suo muneri faciliùs satisfaciat, cui plerique deesse solent, cùm vel nesciant, vel contemnant certum sibi finem, terminúmque præscribere, ad quem ducendi, mouendi, & impellendi sint auditores.

Agemus priùs de primis illis, ac præcipuis vndecim affectibus, de quibus suprà, deinde de aliis, qui ad illos referuntur.

CAPVT XXXVII.

De AMORE & ODIO.

TRIA sunt, ex sententia Aristotelis, qui latè de his in Rhetoricis egit, in singulis affectibus obseruanda: Qui sint, qui illo affectu moueantur, ad quas res, vel personas illi moueantur, & ob quas causas moueantur. Quæ tria orator in affectu, ad quem cõpellere vult auditores, animaduertens, curabit ita auditores disponere, vt dispositi esse solent, qui maximè illo affectu commoti sunt: deinde in rebus & personis illa inesse, quæ ille affectus potissimum intendat: postremò congeret causas huius commotionis, & affectus, vt qui sunt, qui ament, qui sint amandi, ob quas causas amandi, si de amore agitur.

Est autem Amor, affectus,

quo alicui bona cupimus & curamus sola ipsius causa. Duo enim comprehendit Amor; beneuolentiam, & conatum benefaciendi. Qui cùm est mutuus, dicitur Amicitia. Vnde cùm Amor sit complacentia appetitus in obiecto amabili, potest esse bonus, si veræ rationes amoris sint, & malus, si falsæ; quapropter ille incendendus, hic extinguendus est amor.

Primum principium Amoris, & bonum, & pulchrum, vnde amamus eos, quos aliqua virtute insignes esse cognoscimus ea præcipuè, quæ prosit aliis, vt beneficentia, liberalitate; & quo maius est bonum, nempe quod honestius, quod vtilius, quod iucundius, quod tutius, quod stabilius, quod perfectius, eo est illud amabilius.

Alterum principium amoris est similitudo inter amantem &

amatum. Vnde amamus ſimiles, & pares nobis ſanguine, ætate, conditione, exercitatione, modò illi non impediant: nam tunc inuidia naſcitur.

Tertium Amoris principium eſt amari ab alio, vnde dixit Seneca, *Monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine vllius veneficæ carmine: ſi vis amari, ama.* Is igitur amabit aliud, qui rationes boni in amabili inuenerit; illud amabitur, in quo illæ fuerint, & tunc amor debet eſſe maior, quo illæ plures & excellentiores fuerint: cùm autem in Deo omnes ſint, & excellentiſſimæ, ideo eſt ſuper omnia ſummè diligendus.

Affectus Odij, omnino contrariè perſuadendo, concitabitur: nam contrariorum eadem eſt diſciplina. Perſæpe autem continget in vna atque eadem re cauſas eſſe amoris, & cauſas etiã

quo alicui bona cupimus & curamus sola ipsius causa. Duo enim comprehendit Amor; beneuolentiam, & conatum bene faciendi. Qui cum est mutuus, dicitur Amicitia. Vnde cum Amor sit complacentia appetitus in obiecto amabili, potest esse bonus, si veræ rationes amoris sint, & malus, si falsæ; quapropter ille incendendus, hic extinguendus est amor.

Primum principium Amoris, & bonum, & pulchrum, vnde amamus eos, quos aliqua virtute insignes esse cognoscimus ea præcipuè, quæ prosit aliis, vt beneficentia, liberalitate; & quo maius est bonum, nempe quod honestius, quod vtilius, quod iucundius, quod tutius, quod stabilius, quod perfectius, eo est illud amabilius.

Alterum principium amoris est similitudo inter amantem &

amatum. Vnde amamus ſimiles, & pares nobis ſanguine, ætate, conditione, exercitatione, modò illi non impediant: nam tunc inuidia naſcitur.

Tertium Amoris principium eſt amari ab alio, vnde dixit Seneca, *Monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine vllius veneficæ carmine: ſi vis amari, ama.* Is igitur amabit aliud, qui rationes boni in amabili inuenerit; illud amabitur, in quo illæ fuerint, & tunc amor debet eſſe maior, quo illæ plures & excellentiores fuerint: cùm autem in Deo omnes ſint, & excellentiſſimæ, ideo eſt ſuper omnia ſummè diligendus.

Affectus Odij, omnino contrariè perſuadendo, concitabitur: nam contrariorum eadem eſt diſciplina. Perſæpe autem continget in vna atque eadem re cauſas eſſe amoris, & cauſas etiã

Odij reperiri, vt in ſeipſo amando, & inimicis diligendis. Tunc minuendę ſunt rationes vnius, & augendæ alterius. Odium enim ſuiipſius homini ſuadent, & amorem proprium diſſuadent bona, quæ ex illo odio, & mala, quæ ex hoc amore prouenniunt.

Ad inimicorum amorem impelletur, qui conſideret, quàm id cum omni virtute, cum honore, cum Dei voluntate, præcipientis inimicos diligi, coniunctum, & qui reliqua bona, nempe vtile, iucundum, &c. in hoc amore latere intellexerit, nec tot, nec tantas eſſe rationes odij, quot, & quantæ ſeſe primo intuenti offerunt.

CAPVT XXXVIII.

De Desiderio & Spe, Fuga & Desperatione.

AMOR bonum respicit nulla habita ratione temporis: sed Desiderium, appetitus est boni futuri, & absentis, quod bonum si facile haberi potest, exurgit Desiderium, quod ad bonum absens, vt ad finem fertur: si autem difficile haberi potest, qua de causa est timor aliquis illud amittendi, est Spes, quæ ad media boni acquirendi, deinde ad bonum tendit. Ille autem desiderat, qui rationes boni in re absenti, quam appetit, cognoscit: illa res desideratur, quæ & bona & absens esse cognoscitur: eo autem est ardentius desiderium, quo res absens melior esse videtur, cuius boni absentis

plures,

plures, & maiores rationes congerit, qui ad illud desiderandum aliquem vellet impellere.

Idem dicendum est de Spe, quæ tunc eo maior erit, quo plures & maiores causæ spei & confidentię ad bonum acquirendum reperiantur. Vt ad excitandam in Deum fiduciam, maxima & frequentissima sacrarum litterarum testimonia, vt illud, *Quis* Eccle. 2. *sperauit in Domino, & confusus est*: Excellentia huius virtutis, quæ fortes, & alacres animos facit, vt illud, *Dominus illuminatio mea, &* Psal. 26. *salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo*: *Tertiò* proponenda summa Dei bonitas, cui inniti debet nostra fiducia. *Quartò* Dei potentia, cui nihil potest resistere. *Quintò* prouidentia eius summa, cui est cura de nobis. *Sextò* promissiones Io. 6. eius plurimæ. *Petite & accipietis*, &c. *Septimò*, fiducia maxima in-

nititur

nititur Christo Domino Saluatori, Redemptori, Aduocato, Mediatori, Sacerdoti, sacrificio nostro. *Octauò*, accepta beneficia nobis ad alia accipienda fiduciam præbent. *Nonò*, auxilia & intercessiones beatissimæ Virginis, & Angelorum, & Sanctorum, qui nobis reddunt propitium ipsum Deum.

Ad Spem veniæ peccatorum excitandam, hæc erunt argumenta: *Primò*, Deus ipse peccatores inuitat, vt redeant ad se, vt illud, *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite*. Quorsum igitur vocaret, inuitaret, vrgeret, si non paratus esset veniam dare accedentibus. Eze. 18. *Secundò*, promittit Deus toties & tam clarè veniam petenti, quam nisi concederet, mendax esset, quod absit suspicari de diuina veritate, & bonitate. *Tertiò*, conuertat oculos peccator ad pela-

gus diuinæ misericordiæ, cuius comparatione omnia peccata mundi, sunt multo minus, quàm vna guttula aquæ Oceano collata. *Quartò*, consideret merita Christi infiniti esse valoris, & tantam eius bonitatem, vt paratus sit pro singulis iterum mori, si opus esset. *Quintò*, reliquit sacramentum Confessionis, remedium in Ecclesia tam facile, & efficax. *Sextò*, habemus plurima, & maxima exempla pœnitentium, &c. Sic etiam ad spem æternæ vitæ pluribus rationibus excitari potest quiuis quantumuis pessimus, si valet resipiscere.

E contrario reuocandi sunt auditores, ne in se, & in caducis rebus fiduciam collocent, quàm fragiles & caducæ sint eius rationes ostendendo, vnde prouenier earum rerum desperatio. Eadem ratione coercendi sunt à desiderio & concupiscentia vo-

lupta

luptatum, diuitiarum, honorum, si fortissimis argumentis comprobetur, quid in iis boni appa-ret, cuius falsa imagine homines alluntur, quàm sit fragile, & ca lucum, ac indignum bonitatis nomine, & quanta in illis mala, & verè pessima venena lateant. nde enim fiet, vt bene doctus timeat potiùs, & fugiat, quæ mala sse intellexerit, quàm deceptus upiat, quæ bona esse putabat.

CAPVT XXXIX.

De TIMORE & AVDACIA.

VT desiderium & spes sunt animi affectiones enatæ ex iecta specie absentis boni; ita nor est animi commotio, quæ scitur ex obiecta specie eius , quæ nobis malum aliquod erre potest. Orator igitur si

velit

velit ad timorem impellere , illa tria, quæ in reliquis affectibus, in timore exquiret, qui ſint , qui timeant ; quid ſit timendum, quæ rationes timoris. Timent enim qui ſe obnoxios malis, atque illis dignos, debiles ad ferendum, imbecillos ad reſiſtendum, auxiliis deſtitutos ad depellendum eſſe intelligunt. Timentur autem ea, quæ nobis damnum aliquod inferre poſſunt , & eorum indicia etiam formidamus, vt ſigna tempeſtatum nauigãtes, timemus iniuria aliqua à nobis læſos , ſi potẽtiores, & ſuperiores ſint, & eos, quos ab aliis melioribus , & firmioribus reformidari videmus.

Timemus omnia mala, quæ in aliis agnoſcimus , & nobis euenire ſimiliter poſſunt. Timoris autem rationes , & cauſæ eo erunt maiores , quo maius malum imminens repræſentatur, atque ideo pluribus amplifican-

dum

dum rationibus. Ex quibus locis argumenta plurima ſumi poterunt ad timorem mortis, iudicij diuini, & ſupplicij æterni, atque adeò ipſius diuinæ Maieſtatis hominibus incutiendum. Inducet enim Dei timorem attenta ipſius perfectiſſimæ eſſentiæ, infinitæ potentiæ, & certiſſimæ præſentiæ, omnia videntis conſideratio. *Secundò* ipſius incomprehenſibilis iuſtitia, qui adeò peccatum odit, vt pœna æterna puniat. *Tertiò* proponenda irrogata ſupplicia peccantibus, vt Angelis, primis parentibus, &c. *Quartò* admirabilia eius iudicia, licet occulta, iuſta tamen. *Quintò* quàm illum metuant, & reuereantur ipſi etiam Angeli, & Sancti, &c.

Quemadmodum autem bonum diximus eſſe deſiderium, quo verbum bonum expetitur, & malum, quo fictum & appa-

rens

rens bonum desideratur: ita duplex est timor, verus & bonus, quo verè malum timemus: & timor vanus, & malus, quo malum apparens, nec quod iure malum dici potest, reformidamus: ille incutiendus est auditoribus, hic amouendus augendo, quas habemus, ad resistendum, & repellendum, vires; minuendo quod imminet malum, & si quid boni in illo lateat, ostendendo; timoris etiam rationes diluendo. Inde nascetur audacia contraria timori, quæ est commotio appetitus irascibilis ad prosequendum bonum arduum cum contemptu imminentis mali, atque difficultatis. Vt si quis velit aliquem ad paruipendendos labores, & contemnendam mortem excitare, plurima, & maxima ex his capitibus argumenta depromet.

Capvt XL.

De Gavdio & Tristitia.

Gavdivm est animi motus in bonum, vt iam est præsens, vel quasi præsens: quod si verè bonum sit, & nulla ex parte malum, lætitia erit etiam vera, non fucata & mala.

Lætantur ij, qui sui desiderij, & voti compotes fiunt, & eo præsenti gaudent, quod absens appetebant. Illud autem lætificat, quod arridet sensibus, quod præsens malum, & dolorem expellit, quod potentiis item gratissimum, vt cognitio alicuius veritatis intellectui, obiectio alicuius boni voluntati.

Lætitiæ autẽ causæ, & rationes tanto erunt vehemẽtiores, & efficaciores, quanto plures, & maio-

res rationes bonitatis in obiecto præsenti ostendantur. Vtrumque enim explicandum est, & esse, & adesse bonum: & omnes eius partes & species percurrendæ de quibus sæpius egimus.

Ostendetur autem esse præsens, si velut sensibus obiici & quasi digito possit demonstrari. Si autem auditor reuocandus est à lætitia, & voluptate, quia turpis est & mala, quàm sit malum, quod illi affert voluptatem, docendus est, & sic à lætitia transferetur ad tristitiam. Quę est passio, per quam detestamur malum, quod vel re, vel opinione sit præsens.

Ad tristitiam verò in audientibus concitandam, contrariis præceptis, ac ad lætitiam commouendam procedendum est. Et à tristitia ad gaudium traducentur, si malum, quo mœrent, & dolent, non solùm mi-

nuatur, ſed, quæ in eo rationes inſint boni, explicentur.

CAPVT XLI.

De IRA.

IRA eſt appetitus vindictę aduersùs eum, à quo quis ſe læſum eſſe putat.

Differt ab odio, quia hoc tendit in malum & exitium rei quam odit, ira ſolùm reſpicit vindictam contemptus, & propulſationem oppoſiti impedimenti, ſed facilè tranſit in odium.

Excitatur hoc modo, cùm quiſpiam per imaginationem apprehendit impedimentum aliquod circa id quod concupiſcit, excitatur bilis, ex cuius euaporatione feruet ſanguis, maximè circa cor; & ex calore ſanguinis ſumit animæ vires, iraſcuntur,

qui se existimant contemni, qui aliquo incõmodo impediri, qui contumelia affici: vnde fit vt sint proni ad iram, qui vehementer aliquid desiderant, & amant, qui molestia aliqua, vel ægritudine pressi sunt, qui malum aliquod recipiunt, vnde bonum expectabant, qui natura sunt biliosi, iuuenes etiam, ob cupiditates efferuescentes, & sanguinem ebullientem, senes etiam ob confectam ætatem morosi, & qui tempore incommodo interpellantur, vel in loco publico iniuria afficiuntur. Irascimur autem in illos, à quibus hæc incommoda & impedimenta accipimus.

Iræ autem causæ & rationes eo sunt plures, & maiores, quo plura & maiora sint damna, quæ inferuntur, & impedimenta, quę obiiciuntur, & indignior & vilior, qui infert, & obiicit; dignior, & maior is, cui inferun-

tur,& obiiciuntur. Atque in his tribus augendis & amplificandis elaborabit is, qui alios velit ad iracundiam prouocare, vel econtrario in minuendis iis, & diluendis ſi velit iratos animos lenire,& mitigare.

Miteſcimus etiam erga eos, qui nos nequaquam læſerunt, vel inuiti fecerunt, vel ſeſe ſubmittunt, & lapſos eſſe cognoſcunt,& veniam petunt,& beneficia conferunt. Sicut res aduerſæ ad iram,ita proſperæ ad manſuetudinem diſponunt, ſi longum tempus elapſum eſt ab accepta iniuria,ſi is, in quem iraſcimur,in maximam deuenit miſeriam; facile enim abiectis parcimus, vel ſi rurſus ad aliquem altiorem gradum euectus ſit, vt potiùs timendus ſit; vbi enim eſt timor,non eſt ira.

Laudis & clementiæ, ac iræ vituperationes iratos ſedant ani-

mos. *Primò*, quòd ira ſit animi perturbatio ex pluribus aliis mixta, odio, amore, triſtitia, &c. *Secundò*, turbat tam interiorem, quàm exteriorem hominem. *Tertiò*, impedit omnem rationem, & ad maxima flagitia impellit.

Remedia ſunt ad iram compeſcendam peſſimam, quæ diximus.

Eſt etiam ira bona, vt quæ in hæreticos, apoſtatas & alios flagitioſos, ita tamen, vt ira feratur contra vitium, non contra perſonas.

CAPVT XLII.

De reliquis AFFECTIBVS, *qui ex primis vndecim proueniunt.*

AD reliquos AFFECTVS commouendos ex aſſignatis locis argumenta peti poſ-

ſunt

ſunt. Si priùs cognoſcatur cuiuſque affectus natura, ex quo fonte dimanat, videnda etiam illa tria quæ in ſingulis annotanda dixit Ariſtoteles, qui ſint qui afficiantur, erga quæ afficiantur, quæ ſint affectus rationes & cauſæ.

Inſpiciendus item eſt contrarius affectus, ex quibus omnibus tum ad commouendum, tum ad amouendum affectum non difficile erit plura argumenta deſumere, vt de manſuetudine, & lenitate, quæ eſt mitigatio irę, diximus, quæ cùm ad amorem referatur, omnia quæ amore commouent, valent ad excitandam lenitatem. Idem dicendum de gratia, qui eſt affectus, per quem gratis inclinamur ad benefaciendum alicui, non noſtro commodo, ſed eius, cui fit. Idem de gratitudine, quæ eſt remuneratio accepti beneficij.

Ad desiderium spectant tres illæ pestes, quarum afflatu infectum terrarum orbem Ioannes Euangelista dixit, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ, & alia monstra, ex istis progenita.

Tristitiæ adiacent, Misericordia, quę est mœror de alieno malo tanquam proprio; Nemesis, siue indignatio, quæ est dolor de alieno bono, quo aliquem indignum iudico; Inuidia, quæ est tristitia de alieno bono, non quia is, qui habet, sit indignus, sed quia mihi æqualis, vnde Inuidia in malum sumitur, non tamen Nemesis. Zelus & æmulatio, est dolor de alieno bono, non quia alius habeat, sed quia mihi deest; Pœnitentia, quæ est tristitia de peccato commisso; Accedia, quæ est tædium in opere bono; Angustia, cùm aliquo malo ita con-

tringimur, vt non appareat eua-
endi locus.

Sub timore numerantur, Pi-
ritia, vel desidia, quæ est ti-
ıor laboris molesti, ideoque fu-
imus, vel differimus. Erube-
centia, verecundia, vel pudor,
uæ est commotio vel ægritudo
ata ex iis malis, quæ ignomi-
iam videntur inurere, siue sint
mala præterita, præsentia, vel
itura: sicut inuerecundia est,
on tangi his rebus, nec animo
ommoueri. Admiratio, quæ est
mor alicuius mali magni, in
uo difficile sit ferre iudicium,
el, vt inquit Arist. suspensio ani-
i cupientis scire causam rei,
iam nescit. Stupor, qui est ti-
or alicuius mali noui, & cuius
ıllam habeamus experien-
am. Agonia, quæ est timor ma-
ni alicuius mali, cuius non ap-
ret modus euadendi. Terror,
ii est timor magni mali, minis

ab aliquo incussis. Audacia verò contraria timori, & est contemptus imminentis mali.

Iræ tres species ponuntur. Prima dicitur fel, id est, ira subitò exardescens. Secunda mania, quæ est diuturna, & perseuerans, ob diuturnam iniuriæ memoriam. Tertia furor nunquam quiescens, donec vindictam sumat. Qui primâ capiuntur dicuntur celeres bilosi, acuti; qui secundâ, amari & acerbi; qui tertiâ, difficiles & morosi.

Ad iram bonam spectat, cùm aliis indignamur correctionis gratia, ob eorum delicta, quæ in Deum fiunt: & in nos ipsos etiam irascimur ob paruos habitus, inordinatos affectus, vt vitia nostra, & est zelus gloriæ Dei. Atque hæc de Affectibus.

CAPUT XLIII.

Quid potissimum sit ad mouendos AFFECTUS.

AD fidem faciendam, affectúsque mouendos, quibus duobus persuasio continetur, quæ finis orationis est, spectant ea omnia, quæ hactenus dicta sunt de Inuentione, quæ prima pars est Rhetoricæ. Illud vnum superest, qualis futurus esse debet orator, qui velit persuadere. Et licèt multa de suo oratore huius artis magistri Aristoteles, Cicero & Quinctilianus tradiderunt, plura tamen de nostro veteres Ecclesiæ Patres, & longè præstantiora scripta reliquerunt. Hæc oportet breuiter enumerare, & illa non omittere.

Primùm ergo opinio bona concepta de virtutibus, ac sanctitate concionatoris maximam

vim habet ad persuadendum. Hanc non fucata virtus, sed vera & solida efficit, maximè animi demissio, quapropter non solùm fugiat ostentationem, & suarum laudum commemorationem, sed quamuis aliam, vel vanæ gloriæ, vel inuidiæ, vel impatientiæ, vel cuiusuis alius vitij significationem; vigeat tamen in ipso, re ipsa & exemplo ostensa pietas, & religio in Deum, à quo omne datum optimum petat, & speret. Sinceritas mentis, & zelus gloriæ Dei, vt appareat, eum nihil aliud quærere, quàm Dei solum honorem, & auditorum salutem. Charitas & beneuolentia in auditores, quam ipsi, dum sese res offert, etiam experiantur. Libertas in dicendo, zelúsque Iustitiæ cum discretione coniunctus, vt omnes pungat, neminem tamen lædat, in vitia, non in personas inuehatur. Tem-

peran

perantia, & honestas, vt nihil in illo indecorum suspicari, nedum conspicere quis possit. Modestia, & submissio animi, de aliis honorificè; de se modestè loquendo, modò nec laus appareat affectata, nec humilitas ficta. Moderatio animi in rerum omnium contemptu. Fortitudo in rebus aduersis perferendis. Et, quod caput est, prudentia maxima huius muneris erit eorum, apud quos sermo fit, mores, & studia optimè callere, aliter enim ad iuuenes, aliter ad senes, hoc modo ad rusticos & agrestes, illo ad doctos, ita ad nobiles, sic ad infimam plebem dicendum est.

Orator autem Christianus sapientibus & insipientibus sese existimet debitorem: aliis lac potum det, aliis panem frangat, omnibus suas escas apponat, quibus maximè capiantur, & delectentur, & alantur. Promet suo

loco, ac tempore, vt fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum, quæ longo labore, & multo studio apud se condiderit. Nec poterit victoriam non ferre, quæ in motu animorum consistit, si, quos diximus, virtutum armis instructus pugnet, ita tamen illa frequens, & feruens ad Deum oratio exacuerit, & maceratio corporis ieiuniis, ciliciis, verberationibus, & aliis huiusmodi afflictationibus temperarit.

PARS



PARS III.

De DISPOSITIONE.

CAPVT I.

Quid sit DISPOSITIO.

INVENTIONEM sequitur DISPOSITIO, quæ est rerum inuentarum in ordinem distributio. Quanta autem sit dispositionis virtus, vel ex eo videre cæcus poterit, quòd neque domum temere congesta materia, neque exercitum confusa, & promiscua hominum multitudo, nec speciosum hominis corpus efficit membrorum varietas, quamuis singula sint alioquin perfectissima: sed ordo & dispo-

ſitio domui formam, exercitui robur, corpori tribuit pulchritudinem; ſic oratio carẽs hac virtute tumultuetur neceſſe eſt, multa repetat, multa permiſceat, caſum potius, quàm conſilium ſequens. Cùm verò res inuentæ fuerint, tum ad faciendam fidem, tum ad mouendos auditores, conſtat, ita diſponenda eſſe inuenta, vt vtrumque conſequi poſſimus oratione. Cuius partes explicandæ nobis ſint, ac de ſingulis pręcepta tradenda, vt videamus, quæ ad confirmationem cauſæ, quæ ad motum valeant animorum.

CAPVT II.

Quot, & quæ ſint PARTES ORATIONIS.

PARTES ORATIONIS Rhetoricæ ſunt quatuor,

Exordium, Narratio, Confirmatio, & Epilogus. Nonnulli sex perfectæ, & absolutæ orationis partes constituerunt, subiiciunt enim exordio propositionem, seu partitionem, confirmationi refutationem; sed istæ ad alias, vt pòst dicemus, referuntur.

Prima pars ad conciliandos animos, vltima ad permouendos valet, duæ mediæ ad causæ probationem spectant. Quid verò vnaquæque earum exigat exponemus.

CAPVT III.

De EXORDIO.

EXORDIVM est prima orationis pars, animum auditoris comparans ad reliquam dictionem. Quod tribus maximè rebus fieri, inter authores plurimos constat, si beneuolos, si atten

tentos, si dociles auditores fecerimus. Multa hîc ab huius artis magistris solent præcepta congeri, nos ea tantùm afferemus, quæ nobis pro rerum & temporum varietate vsui esse possint.

Amicè, & beneuolè vt audiamur, exordiri possumus, à modesta, vel auditorum, vel nostrûm commendatione, si res fert, sine vlla tamen, vel ostentationis, vel assentationis suspicione. Tum si ostendamus nos gratificandi voluntate, studio in rem publicam, beneuolentia in auditores ad agendum descendisse: conciliat sibi orator auditores, si crimina illata, & aliquas minus honestas suspiciones iniectas diluat, si prece, ac supplicatione humili vtatur.

In genere iudiciali captabatur beneuolentia auditorum, à persona aduersariorum, eos in odium, aut inuidiam, aut con-

temptum

temptum adducendo.

A iudicum etiam persona, eorum bene gesta, & quanta eius iudicij expectatio esset, enumerando.

Postremò ab ipsa causa, quàm cum ratione, bono publico, & æquitate coniuncta sit, exponendo, & aduersæ causæ obiiciendo contraria.

Exempla peti possunt ex Ciceronis orationibus, sed fugienda in iis arrogantiæ, inuidiæ, & odij ostentatio, quæ longè à bono, nedum à Christiano oratore esse debet; sed vt paucis multa dicamus, omnia, quæ ad concitandum amorem in affectibus valere diximus, ad excitandam beneuolentiam spectant. Egregiè obseruatum est hoc à summo nostro oratore D. Paulo, qui ad Romanos, & Corinthios scribens, illorum fidem commendans, exorditur. Ad Philippenses, &

Thessalonicenses à beneuolentia, & amore, quo illos prosequebatur. Apud Regem Agrippam pro se dicturus, ita exorsus est: *De omnibus, quibus accusor à Iudæis, Rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cùm sim defensurus me hodie, maximè te sciente, &c.*

Intelligenter audiemur, si summam, & scopum causæ breuiter exponamus, si definiamus, si diuidamus, non tamen in plures, quàm duas, vel tres partes, ne memoriam auditorum confundamus. Inde exorsus est Ecclesiastes, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Dociles nos facit, cùm suæ orationis finem proponat.

Cap. 1.

Attentus erit auditor si à rebus ipsis ordiamur, si magna quædam proponamus, si noua, si incredibilia, si coniuncta cum iis, apud quos agimus; vnde D. Ioannes primæ suæ epistolæ ini-

tium

tium fecit, *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ annunciamus vobis.*

CAPVT IV.

De EXORDIENDI RATIONE *in diuersis causis.*

NON quæuis causa omnia hæc exordiendi præcepta postulat, sed alia aliud. Vnde quinque causarum genera omnes huius artis præceptores constituerunt.

Honestum, id est, quod probatur ab auditoribus, nec illis displicet; causa enim alioquin per se turpis, apud turpes habebitur honesta: hæc satis per se ad conciliationem valet, non ibi opus est captare beneuolentiam,

ſed aut attentionem, ſi res ſit humilis, aut docilitatem, ſi obſcura.

E contrario turpe genus cauſæ dicitur, quod ab auditoribus improbatur, vt ſi de caſtitate agas apud turpiſſimos, de labore apud deſides & otioſos, in quo opus eſt beneuolentia.

Humile eſt, cùm contempta res tractatur; attentione opus eſt in illo, quod egregiè obſeruauit Homerus in Batrachomyomachia, & Hieronymus Vidas de ſchacchia ludo.

Ludimus effigiem belli, ſimulataque veris
Prælia, buxo acies fictas, & ludicra regna,
Vt gemini inter ſe reges, albúſque, nigérque
Pro laude oppoſiti certent bicoloribus armis.

Obſcurum genus cauſæ eſt,

quod ſatis non intelligitur, in quo dociles reddendi ſunt auditores.

Dubium eſt, quod partem habet turpitudinis, partem honeſtatis, hinc enim probatur ab auditoribus; hinc reiicitur; poteſt enim res, quæ agitur, eſſe grata, non tamen perſona, vel econtrario, vel ipſa res hinc placere, hinc diſplicere; & tunc omiſſa parte, quæ diſplicet, ab ea quæ placet, concilianda eſt beneuolentia.

In turpi, quod etiam dicitur admirabile, à quo alienatus eſt auditorum animus, non recto vtendum eſt principio, ſed inſinuatione.

Eſt autem principium oratio perſpicuè, & apertè faciens auditorem beneuolum, docilem, & attentum.

Inſinuatio eſt oratio, quadam diſſimulatione, & circuitione

obſcurè ſubiens auditoris animum,& in illum, tanquam aliud agens,tacitus ſe inſinuans, & irrepens. Qua item vtemur, ſi auditores defatigati fuerint, quod fit pollicendo breuitatem, vel, ſi res fert, re aliqua exhilarando auditores. Fit etiam inſinuatio, cùm relictis rebus omnibus,quæ moleſtiam aliquam & offenſionem afferre poſſint auditoribus, ea tantùm aſſumimus, quæ nobis pro re,& tempore fuerint opportunæ.

CAPVT V.

De VITIIS EXORDII.

SEPTEM ſunt EXORDIORVM VITIA,vulgare,commune,commutabile,longum,ſeparatum,tranſlatum,contra pręcepta. Vulgare eſt,quod in plures cauſas poteſt accommodari,

paſsímque ab omnibus vſurpatur. Commune eſt, quod mihi, & aduerſario eſſe poteſt vſui. Commutabile eſt, quod paucis mutatis, facile erit in plures partes flectere. Longum eſt, quod pluribus verbis aut ſententiis, vltra, quàm ſatis eſt, producitur, tollítque debitam corporis ſymmetriam. Separatum eſt, quod longiſſimè ſumitur, nec eius eſt cauſæ, de qua agitur. Tranſlatum eſt, cùm ignorato genere cauſæ, aut dociles pro attentis, aut attentos pro beneuolis faciendos auditorum animos putamus. Contra præcepta, quod nullo modo auditorum animos ſibi comparat, interdum etiam alienos, & infeſtos facit, nec quidquam eorum efficit, quorum cauſa de exordiis præcepta traduntur. Quæ vt fugiamus, obſeruanda ſunt hæc Ciceronis præcepta lib. 2. de Oratore.

Hisce omnibus rebus consideratı tum denique id, quod primum est di cendum, postremò soleo cogitare, qu vtar exordio. Nam si quando i primùm inuenire volui, nullum mil occurrit, nisi aut exile, aut nugatc rium, aut vulgare, aut commune.

CAPVT VI.

De EXORDIENDI RATIONE *sacris oratoribus seruanda.*

EX iis quæ diximus, potes ad quanuis causam tam sacram, quàm profanam exordiendi ratio institui. Sed cùm saci oratores longè pluribus, ac me lioribus partibus profanos, pri scósque superent, æquior mult atque honestior plerumque cau sa sit, melius ferè semper anima ti, atque dispositi auditores, no admodum multa, eorum quę di

cta sunt, ab illis obseruanda erunt. Quapropter eo modo apparatum exordium persæpe omittent, quod suum etiam oratorem facturum Aristoteles, & Cicero docuerunt.

Exordium illis debet esse breue, cuius prolixitas & attentioni & beneuolentiæ multum officit. Debet esse proprium, hoc est, bene cohærens, materiæ tractandæ, natúmque ex ipsis causæ visceribus. Debet esse graue, modestum, ac verecundum : nam quod, vel audacem, vel arrogantem ostendit oratorem, abalienat auditores. Et quanuis inornatum non esse debet, fugiat tamen speciosam ostentationem, & apparatiorem diligentiam. Præstituat scopum, qui sibi & populo spectandus sit, quem aliquando etiam inter orandum opportunè commodéque in memoriam reuocabit.

Loci

Loci, ex quibus exordia ſumi poſſunt, hi maximè erunt, res ipſa, de qua agendum eſt, oſtendendo eius dignitatem, & neceſſitatem; ratio temporis, quo habetur oratio; loci, in quo; perſonarum, apud quas dicitur; perſona etiam ipſa dicentis.

Chryſoſtomus ſummus oratorum Græciæ nunc exorditur à laude auditorum, quòd alacriter ad audiendum accederent, nunc à laude ſacræ Scripturæ, quam epiſtolam Dei docet eſſe, vel pretioſum theſaurum, vel ſpirituale conuiuium. Aliquando tacitæ obiectioni reſpondet, vt in homil. Quod nemo læditur niſi à ſe ipſo, ita exorſus eſt: *Scio, quòd craſſioribus quibuſque, & præſentis vitæ illecebris inhiantibus nouus videatur hic ſermo noſter, ac mirus, & deridebunt nos fortaſſe, ſi tamen paululum nobis patientiæ tri-*

buant,

buant, hi quibus absurda videntur, quæ loquimur, ipsi postmodum palinodiam canent.

Potest exordium capi ab aliquo euentu, & re noua, vt D. Petrus ad plebem tumultuantem, *Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos existimatis, hi,* &c. *Act. 2.*

Aliquando aliqua prophetia, seu figura veteris Testamenti breuiter accommodata potest exordij locum habere: aut aliquod axioma, aut communis aliqua Theologorum doctrina, vel grauis Sanctorum sententia, aut aliqua similitudo, quæ ad rei tractandæ faciat explicationem, vel aliqua parabola, exemplum, vel historia.

Poterit nonnunquam in re graui, & tragica exordium sumi ex abrupto. Sic Isaias à contesta-

Cap. 1. tione cæli, & terræ orditur, *Audite cæli, & auribus percipe terra.*

Locum exordij habere solet simplex propositio thematis, vel diuisio futuræ concionis, maximè apud viros graues, & eruditos. Breuis etiam narratio, nec tamen nuda, & expositio dilucida, sed non longa Euangelicæ historiæ, si de ea est sermo, vnum, vel duo capita seligendo, quæ fusiùs tractentur, vel statim fructum sibi finémque in illa proponendo, quem assequi velit orator.

Si exordium, vt sæpe solet, clausit ad beatissimam Virginem precatio, vt eius interuentu cæleste numen imploretur, illud, quàm obnixè possit, deprecetur: caueat autem, ne post aliud texat exordium, sed ipsam statim causam aggrediatur.

CAPVT VII.

De NARRATIONE.

VBI post exordium, vt sæpius contingit, non sit narratio subiicienda, locum habet propositio, quæ rei summam, vel scopum paucis comprehendat; si ea simplex esse non possit, additur partitio, vel diuisio, quæ propositionis partes enumeret, quæque docilem reddat auditorem. Nam quamuis hoc ad exordium, vt diximus, pertinere videatur, per totam tamen orationem, data occasione, docilitas, attentio, & beneuolentia redintegranda est. Si nec causæ propositione, aut diuisione, nec narratione opus est: subiiciunt alij exordio introductionem, quæ est breuis tractatio alicuius rei, quæ licèt non pertineat ad argumentum præcipuum, est tamen

ita connexa ei, vt inde ferè ducatur præcipua ratio ad causæ confirmationem; vt si quis de mundi contemptu, & æternæ vitæ desiderio agat, poterit introduci, & permitti quæstio, in quo consistat vera hominis felicitas.

Hæc introductio sumi potest vel à thesi, & loco aliquo communi, quæ sit velut propositio, vel, vt logici dicunt, Maior; ex qua assumptio causæ, quæ tractanda, quæ est Minor, robur assumit. Vt si quis acturus de inimicis diligendis, priùs dicat, & amplificet hanc quæstionem: Quidquid à Christo præceptum est, seruari debet, hinc assumat, verbo præcipit, exemplo docet, morte confirmat inimicos diligendos. Hinc concludat, quis, si verè Christianus est, inimicos non diligat? Nec semper eadem introductionis forma seruanda,

sed

ed nunc hoc, nunc illo modo procedendum.

Narratio, vbicunque contingat, vt dictum est in progymnasmatis, debet esse breuis, aperta, probabilis, & suauis. Erit breuis, si non longè, &, vt dicitur, à gemino ouo petatur historia; si consistat vbi res postulat, nec vltrà producatur; si simplici, & eo, quo decet, orationis stylo enumeretur; si nullæ digressiones, nec ea, quæ ad rem non spectant, interponantur. Aperta erit, & dilucida, si ordine temporum conseruato, si distincto, si non interrupto narrabitur, si nõ immodicè, quod breuitati etiam fauet, verba ipsa coaceruentur. Erit probabilis, si res consentiat cum tempore, loco, modo, causis, effectis, ac reliquis circunstantiis; si non dissentiat à personis, quæ in narrationem incidunt; si historici, ex quo deprompta est, autho-

 ritas,

ritas, vel communis affirmantium consensus afferatur. Erit suauis, si adhibeantur admirationes natæ ex rebus magnificis, ac nouis, si narrando suspendamus animos auditorum ad auiditatem reliqua percipiendi, si referantur exitus inopinati, si fiant descriptiones quæ rem oculis subiiciant, si inducantur colloquia personarum, si varij motus & affectus exprimantur. Aristoteles addit narrationem debere esse moratam, hoc est, vt exprimantur mores, & affectus personis ac rebus conuenientes, & animi proposita, atque consilia, & sermo, vultus, & actio tota iis consentiat, vt læta iucundè, tristia dolenter, seria grauiter exprimantur.

CAPVT VIII.

De NARRATIONE *sacrorum oratorum propria.*

SACRIS oratoribus quatuor assignari possunt narrationis genera; quibus omnibus oratoria præcepta conueniunt.

Primum, quod res gestas, & quę pręcesserunt exempla commemorat. Sic à fratribus Ioseph venditi, Absalonis è quercu suspensi, & aliorum historiæ persæpe in conciones incidunt narrandæ, non tamen ieiunè & exiliter, sed leuiter animorum motus incitando, suis etiam coloribus adhibitis, qui narrationem iucundam reddant.

Secundum narrationis genus est, quod amplificandi causa sumitur, cùm egregia Sanctorum facta, vel detestanda malorum exempla volumus amplificare,

cui omnia deſeruiunt, quæ ſuperiùs de amplificandi ratione ſunt tradita. Poteſt ad huiuſmodi rationem via præmuniri per theſem aliquam, & locum communem ſuis rationibus explicandum, ad quem veluti probandum exemplum illud afferatur. Vt ſi quis narrare vellet egregiã Iudith fortitudinem, qua Holofernem interfecit, poterit à laudibus temperantiæ, vel vituperatione ebrietatis, vel à commendatione magnæ in Deum fiduciæ, vel fœminei ſexus, vel deteſtatione ſuperbiæ exordiri, &c. Nam ad hæc omnia, & alia plurima poteſt hæc afferri narratio. Poterit etiam conciliare animos auditorum iis præceptis, quæ de exordiendi ratione ſuprà tradita ſunt.

Tertium narrationis genus, quod allegoriæ myſticiſque ſacræ paginæ ſenſibus conuenit:

hæc enim est sacrarum litera-
rum excellentia, & dignitas, vt
præter eum, quem nuda ipsa
verba sensum primò legentibus
ostendunt, mysticos habent sen-
sus, ac reconditas significatio-
nes. Horum sensus Primus est li-
teralis, & historicus, quem verba
ipsa primò legentibus manife-
stant. Secūdus qui ad mores for-
mandos hominum, & vitæ insti-
tutionem spectat, dicitur Tro-
pologicus, vel moralis. Tertius,
qui ad Christi & fidei nostræ
mysteria explicanda pertinet,
vocatur Allegoricus. Quartus
Anagogicus, quo ad celestem pa-
triam, & Dei amorem, & vnio-
nem aspiramus. Hi tres vltimi,
mystici sensus nomine com-
prehenduntur, qui semper in sa-
cris literis inquirendus est, ibi
maximè, vbi primo legenti otio-
sum aliquid, vel minutum, ac
plane superuacaneum occurrit.

Quis negat altiſſimum ibi ineſſe myſterium, cùm Chriſtus Dominus, vt videndi poteſtatem, qua ſemper caruerat, cæco redderet, lutum ex ſaliua fecerit, illius oculos liniuerit, & ad natatoriam Siloe miſerit? Hi tamen myſtici ſenſus & reconditi, non ex cuiuſuis imprudenti iudicio, ſed ex ſanctorum Patrum, qui in ea re elaborarunt, ſentẽtia erudiendi ſunt. Quatuor autem maximi Latinæ Eccleſiæ doctores, cùm in hac ſchola excellentiſſimi fuerint magiſtri, ſinguli tamen in ſingulis excelluerunt. Hieronymus literali, Ambroſius morali, Gregorius Allegorico, Auguſtinus Anagogico. Nactus igitur huiuſmodi narrationem Eccleſiaſticus orator, vbi oſtẽderit occultam aliquam ibi ineſſe ſignificationem, quo attentos ſibi faciat auditores, alicuius ſacri ſcriptoris (ſi fieri poteſt) explana-

tionem

tionem afferet, deinde, vt in comparatione dictum est, singulas eius partes, singulis historiæ partibus accommodabit, tropis & figuris appositis rem ipsam exornans, nec opus erit minuta quæque percurrere, sed ea tantùm, quæ suo facere proposito videbuntur.

Quartum est narrationis genus, quod in Euangelicæ lectionis explanatione versatur, sed eius vim & rationem paulo pòst suo loco explicabimus.

CAPVT IX.

De CONFIRMATIONE.

NARRATIONEM, vel propositionem subsequitur CONFIRMATIO, quæ duas partes habet, & nostræ causæ probationem, & aduersariæ refutationem. Huc omnis vis

oratoriæ facultatis ſpectat: hîc ſunt omnes nerui eloquentiæ adhibendi, cùm ibi victoria oratoris conſiſtat.

Vt autem confirmari noſtra cauſa, & aduerſa refutari poſſit faciliùs, conſtitutio ſiue ſtatus cauſa priùs cognoſci debet. Eſt autem ſtatus in quo cauſa potiſſimum conſiſtit, & in quo res maximè innititur, qui ex confirmatione orationis, & ex prima depulſione aduerſarij naſcitur.

Tria autem quæri poſſunt, in dubiúmque vocari, An ſit, Quid ſit, Quale ſit. Vnde tres naſcuntur ſtatus. Nam ſi rem non conſtat eſſe, quæritur an ſit, & vocatur ſtatus coniecturalis: ſi conſtat, aut quid ſit quæritur, & eſt finitionis ſtatus, aut qualis ſit, & eſt qualitas.

Ex prima autem confirmatione cauſæ, & refutatione aduerſa-

rij naſcitur iudicatio, quæ eſt prima; & maxima ratio, in qua vis confirmationis conſiſtit, quò omnia ſunt argumenta conferenda.

Hæc autem quæ de ſtatibus diximus, licèt maximè ſpectent ad genus iudiciale, in quo & aduerſarius, qui accuſat, & crimen, de quo reus accuſatur, ſemper apparent: tres illos ſtatus in quouis alio cauſarum genere licebit indagare. Nam in genere exornatiuo & deliberatiuo, is aduerſarius habetur, qui poſſit noſtris laudationibus, vel ſuaſionibus aliquid obiicere, ex quarum rerum conflictione naſcitur ſtatus vel coniecturalis, vel finitionis, vel qualitatis.

Sed hæc etiam frequenter in vſu ſunt ſacris oratoribus, quibus perſæpe continget, vel cum peruerſis hæreticis, aut cæcis idolatris, aut impiis, vel parum

piis Christianis pugnare, vel de
veritate aliqua cognoscenda, au
fidei dogmate confirmando, au
legis aliquo præcepto defenden
do, aut praua consuetudine ex-
tirpanda, disputetur. Sit exem-
plum, si apud hæreticos de Pur-
gatorio verba fiant, status eri
coniecturalis, an sit, vel non sit
Potissima ratio ad illud com-
probandum erit animas persæpe
hominum ex hac ad æternam vi-
tam emigrare, iis obnoxias pœ-
nis, quas hic ob admissa scelera
non expenderint. Et hæc erit iu-
dicatio causę, in quam omnia ar-
gumenta sunt conferenda. Si de
purissima conceptione inteme-
ratæ Virginis Mariæ agitur, sta-
tus potest constitui finitionis
hac ratione. Si beata Virgo sine
peccato concepta est, redempta
non est à Christo Domino, quia
à peccato, in quod non decidit,
erepta non fuit. Responsio erit

cùm

cùm à peccato, in quod nō lapsa est, nō erepta fuerit, sed ab eo, in quod decidere poterat, præseruata sit, excellentiori quodam modo redempta est. Et sic ad statum pertinet finitionis an redempta dici possit, vel non, & iudicatio huius status, nempe ratio, cui ille potissimum innititur, erit hæc, excellentissimum redemptionis genus esse à peccato præseruari, quæ iudicatio erit quanta possit argumentorum & vi, & multitudine confirmanda.

Ad status qualitatis ferè omnes causæ vel exornatiui, vel deliberatiui generis spectant, vt hæc: Deus est super omnia amandus. Iudicatio erit, omnes rationes boni, omnes amoris causæ in Deo eminentissimè reperiuntur, quæ si, vt par est, exponuntur, & amplificantur, fieri non potest, quin in Dei amorem

 exciten

excitentur audientes.

In confirmatione igitur, & refutatione iudicationis victoria causæ versatur, quæ argumentis & argumentatione comparatur; de illis actum est in prima parte Rhetoricæ, de hac agendum est modò.

CAPVT X.

Quid sit ARGVMENTATIO, *& quotuplex.*

ARGVMENTATIO est argumenti dispositio, cuius quinque sunt species, Syllogismus, seu ratiocinatio, Enthymema, Dilemma, Sorites, & Inductio, de quibus sigillatim agemus.

CAPVT XI.

De SYLLOGISMO.

SYLLOGISMVS est in quo ex duabus præmissis propositionibus tertia alia infertur, vnde tribus partibus constat, Propositione, Assumptione, & Complexione, quæ à Dialecticis Maior, Minor, & Consequentia appellantur. Sed quoniam concisa est Dialecticorum ratiocinatio, & spinosa, & quasi punctis efficit, quod vult Orator, qui non tantùm docere, sed etiam delectare, & flectere debet, Syllogismum quinque partibus absoluit, nam propositioni subiicit probationem, & assumptioni eiusdem item confirmationem addit. Huius argumentationis clarissimum est exemplum in Ciceronis Miloniana, vbi propositio est, insidiatores iure in-

terfici posse, illius probatio, e
quòd necessitas barbaris, rati
doctis, natura animantibus vi
vi repellere persuaserit. Assum
ptio erit, Clodium insidiatore
fuisse, eius autẽ confirmatio, e
quòd armatus in equo expedi
tus, cum scelerata seruorum ma
nu, in agro Milonem vnà cu
vxore, & symphoniacis pueri
lectica vectum, & nihil minu
cogitantem, aggressus fueri
Complexio erit, iustè igitur in
terfectum fuisse Clodium. Ha
argumentatione quanuis remo
tis probationibus, vsus in Phar
Io.8. sæos Christus Dominus; *Qui e*
Deo est, verba Dei audit: propter
vos non auditis, quia ex Deo n
estis. Efficitur autem Syllogismu
reuocata hypothesi, idest, cau
infinita ad thesim, id est, finitan
Vt autem similitudo, quæ satie
tatis mater est, euitetur, non sem
per à propositione, sed nonnun

quar

uam ab assumptione, interdum complexione exordiendum st. Reliqua, & satis multa, quæ e Syllogismo dici poterant, ad Dialecticos potius, quàm ad oratores spectant.

CAPVT XII.

De ENTHYMEMATE.

SYLLOGISMVM sequitur ENTHYMEMA, quod Syllogismus oratoris dicitur, vel truncatus, in quo vna pars desideratur, vel propositio, vel assumptio. Ex quo fit, vt ex vna propositione, quæ à Dialecticis Antecedens dicitur, altera nempe Consequentia inferatur: vt, omnes virtutes in actione consistunt; ergo prudentia. hîc desideratur assumptio, siue minor, nempe prudentia est virtus. vel sic disponi potest: Prudentia est

virtus;

virtus; ergo in actione consisti
Hìc desideratur propositio, siu
maior.

Adiungi etiam potest ac de
bet ab oratore, vt copiosa sit ar
gumentandi forma antecedent
propositioni sua probatio. Qu
dicendi ratione vsus est D. Pau
lus, *Omnes stabimus ante tribuna*
Christi; scriptum est enim: Viu
ego, dicit Dominus, quoniam mi
flectetur omne genu, atque omnis lin
gua confitebitur Deo. Itaque vnu
quisque nostrûm pro se rationem re
det. Hìc desideratur assumptio
ita enim posset integer constitu
Syllogismus: Omnes homine
stabunt ante tribunal Christ
pro se rationē redditur i, hæc e
propositio; nos homines sumu
hæc est assumptio prætermiss
quia perspicua erat; ergo omne
rationem reddemus, hęc est com
plexio. Probatio autem antece
dentis propositionis est in illi

Rom. 14.

verbis, *scriptum est enim*, &c. Frequétius est auté Enthymema sine propositione, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7.

Caput XIII.

De Dilemmate.

Dilemma syllogismus cornutus dicitur, habet enim duas partes, quarum si alteram neges, in alteram incidas necesse est. Vt Cicero pro lege Agraria, *Quanta calamitas populo si dixerit, quantus ipse questus si negauerit.* Hinc illud Martialis in Cinnam, lib. 7. Epig. 42.

Primum est, vt præstes, si quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens, vt citò, Cinna, neges.
Diligo præstantem, non odi, Cinna, negantem.
Sed tu nec præstas, nec citò,

Cinna negas.

Hinc vis illa argumenti, quo Elias Israëliticũ populum vrgebat, *Vsquequo claudicatis in duas* 3.Reg. 18. *partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Fortissima est hæc argumentatio, si vtrumque illius cornu est certum, vel credis te rationem esse redditurum vitæ tuæ in supremo Dei iudicio, vel non. Si non credis, es hæreticus; si credis, & malè viuis, stultus.

CAPVT XIV.

De SORITE.

SORITES, quam, si necesse sit, Latino verbo liceat *acerualem* appellare, vulgo dici solet de primo ad vltimum, multa congerit, vt aliquid postea inferat. Hinc Themistocles filium suum nondum triennem totius

terrarum orbis potentiſſimum eſſe probabat. *Europa dominatur orbi, Europæ Græcia, Græciæ Athenæ, Athenis Themiſtocles, Themiſtocli vxor, vxori filius; ergo filius orbi.* Fallax & captioſum eſſe ſolet argumentandi genus: oportet autem ſingula retexere, vt ſic faciliùs vniuerſa frangantur.

Hac argumentatione effecit D. Paulus oportuiſſe in omnium ſalutem Euangelium ab Apoſtolis prædicari. *Omnis enim, quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit; quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur.* *Rom. 10.*

CAPVT XV.

De INDVCTIONE.

INDVCTIO plures similitudines, & exempla ad vnum affectum congregat, vt diximus cap. 10. de amplificationibus, ex quo exempla peti possunt. Hinc illud: Age inter poma, quódnam generosissimum dices, an non id quod optimum est, & quis equus, piscis, ager, pratum, nónne horum id dicitur generosissimum, quod optimum? dicitur profectò. Quocirca inter homines generosissimum eum esse dicemus, non qui natalium splendore anteit cæteros, sed qui virtute, & probitate morum reliquis hominibus præstat. Delectantur non solùm oratores, sed Poëtæ inductione, quæ est apud Ouidium frequentissima: vt 4. de Tristibus, Eleg. 3.

Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus.
Si valeant homines, ars tua Phœbe iacet.

Duo autem præcipuè in Inductione cauenda: primum, vt quod inducimus vel per similitudinem, vel per exemplum, eiusmodi sit, vt necesse concedatur; deinde vt id cuius confirmandi causa fit Inductio, simile his rebus sit, quas vt certas antè induxerimus. Huius argumentationis insigne est exemplum Eccles. 44. & sequentibus.

Exemplum imperfecta est Inductio; nam in inductione plura assumuntur, in exemplo, vno tantum contenti sumus. Est autem Exemplum rei gestæ, vel

tanquam gestæ, vtilis ad persuadendum id, quod intenderis, commemoratio; iis autem verbis, *vel tanquam gestæ*, parabola significatur. De hoc vide suprà in secunda parte locum à Comparatis.

CAPVT XVI.

De EPICHEIREMATE, ENVMERATIONE, & SVBIECTIONE.

SOLET etiam inter argumentationes numerari EPICHEIREMA, quod bifariam ab authoribus sumitur, aliquando pro Syllogismo, aliquando pro breuiter comprehensa ratione, quæ ad ipsum Syllogismum reduci potest. Sic illud Prophetæ, *Malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Ex quo ita Syllogismum conficies; Ma-

Ier. 2.

ximum malum est à summo bono discedere, & maximè amarum fontem totius suauitatis, & dulcedinis reliquisse. hæc est propositio. Sed Deus est summum bonum, & perennis fons vitæ & dulcedinis. hæc est assumptio. Malum igitur & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. hæc est complexio.

ENVMERATIO est in qua pluribus rebus expositis & cæteris infirmatis, vna reliqua necessariò confirmatur. Quæ argumentatio à sufficienti partium enumeratione dicitur: vt, calliditas non est iustitia, nec fortitudo, nec temperantia, neque prudentia; ergo non est virtus. Vide quæ diximus in locis à partium distributione, & à genere, & specie.

Enumerationi finitima est SVBIECTIO: nam quidquid

enumeratione tractatur, multo elegantius per subiectionem reddi potest. Ea est cùm quærimus quid contra nos dici potest; idque singulatim referimus, nobísque ipsis respondemus. Vt Cicero pro Cælio, *Dicet aliquis, hæc igitur est tua disciplina? sic instituis adolescentem,* & quæ sequuntur.

CAPVT XVII.

De COLLECTIONE.

SED inter omnes argumentandi formas Collectio est plenissima, atque ideo oratori maximè propria, quæ vna superiorum argumentationum vim in se complectitur. constat quinque partibus, Propositione, Ratione, Rationis confirmatione, Exornatione, Complexione, siue conclusione.

Propo

Propoſitio eſt, per quam oſtendimus ſummatim quid ſit, quod probare volumus.

Ratio eſt potiſsima cauſa, quę demonſtrat id verum eſſe, quod intendimus.

Confirmatio rationis eſt ea, quæ pluribus argumentis corroborat breuiter expoſitam rationem.

Deinde ſequitur Exornatio, vel expolitio, in qua orator artis, & ingenij vim maximè oſtendet: ea verò præcipuè locum habet, cùm ratio, aut confirmatio, aut etiam propoſitio latentem vim continet, quæ breui oratione explicari non poteſt, quam ille ſuis coloribus inſpiciendam, & veluti ſpectandam omnibus proponet.

Exornationem ſequitur Concluſio, illa adhibetur, cùm oratio longiùs euagata fuerit, tunc enim totius argumentationis

ſummam, quàm breuiſſimè poterit, complectetur. Vt ſi quis de Dei amore agat, propoſitio erit, Deus eſt ſuper omnia amandus. Propoſitio autem non nuda & obſcura dicatur, ſed ſi opus eſt definiatur, & diuidatur, vt hæc: Cùm amare ſit, alicui bene velle, & facere, Deo autem nihil nos conferre poſſimus, quod illi deſit. Amare Deum erit, ad illum bene animo affici, de illius ſumma felicitate gaudere, illius laudem, & gloriam in omnibus deſiderare, quòd non cognoſcatur, & ametur ab omnibus, dolere, ad illius gloriam multa agenda proponere, in illius beneplacitum, & voluntatem ſeſe reſignare.

Explicata propoſitione ſequitur illius ratio, quia eſt ſummum, & ex omni parte perfectiſſimum bonum, hæc etiam ratio explicanda, definienda & diuidenda eſt.

Sequitur huius rationis confirmatio, quę pluribus argumentis fiet, petitis ex locis tam propriis, quàm remotis.

Hanc confirmationem sequitur vel potiùs comitatur exornatio, illa enim argumenta aliis, atque aliis rationibus exornanda, & amplificanda sunt.

Quæ omnia colliget, & amplectetur conclusio, quæ ad propositionem redit, nempe Deum ab omnibus, super omnia amandum.

Tria autem hîc annotata esse velim. *Primum* posse totam orationem & causam vna collectione comprehendi, & per eius quinque partes optimè disponi. *Secundum*, aliquando nunc hanc, nunc illam partem orationis, quæ aliter disposita fuerit, collectione confirmari vna, vel pluribus, si opus fuerit. *Tertium* tam hanc, quàm reliquas omnes

argumentationes, quas diximus, ad Syllogismi formam reduci posse, atque ex illa vim omnem assumere.

Syllogismus autem, qui bene dispositus est perfectissima argumentatio, robur suum assumit ex primis his duobus principiis, dici de omni, & dici de nullo. Nam si procedit negando, probat id, quod de nullo superiore dicitur, de nullo inferiore sub illo contento dici.

Si autem Syllogismus procedit affirmando, probat quidquid dicitur de omni superiori, dici de omni inferiori contento sub illo. Hæc autem affirmatio & negatio reducitur ad primum illud, & maximum totius veri principium, quodlibet est, vel non est. Quod facile exemplis monstrari potest.

CAPVT XVIII.

Quæ & quomodo ſint CONFIRMANDA, & REFELLENDA.

ATQVE hæc de argumentationibus, quibus cauſam noſtram confirmamus, & aduerſarij argumenta, quæ vel obiecta ſunt, vel obiici poſſunt, refellimus. In quo plurimum laboris & operæ ponet, ne quid quod opponi poſsit, relinquat, quod non infirmet. Id autem fiet, vel negando, quæ falſa videbuntur, vel ſi negari omnino non poſſunt, oſtendet non adeò eſſe vera, vt illi putant; vel contra firmam aliquam rationem, aliam æquè firmam, aut firmiorem afferat. Omnia enim quæ refelli poſſunt, vel falſa ſunt, vel partim falſa, & partim vera, vel omnino

vera, quæ, vt nuper dixi, retundenda sunt, & veris vera, vel veriora opponenda.

In argumentis, quibus nostram causam confirmamus, id est aduertendum maximè, vt firmum argumentum in principio collocetur, firmissima in extremo, reliqua in mediam turbam coniiciantur.

In confirmatione item caueat diligenter orator, ne sterilis sit, & ieiunus, res dialectico more, simplicibus verbis sine vlla amplificatione enuncians: vel e-contrario, ne dum hoc vitium fugere studeat, rem eandem aliis verbis idem significantibus sine vlla figurarum, aut sententiarum varietate dicat, aut, quod multo fœdius, & fastidiosius est, eandem sententiam frequenter repetat, quod vitium ταυτολογία appellatur.

Cùm ab vno capite, vel argu-

mento deueniendum est ad aliud, transitioni locus est concludendo, quod erit dictum breuissimè, & proponendo, quod sequitur. Variari tamen transitio debet, & interdum ipse auditor ad nouam attentionem breuiter præparandus est. Data etiam occasione poterit vel necessitatis, vel vtilitatis causa digressiones aliquas facere, non autē longas, nec admodum frequentes, & quæ iis, quæ dicuntur, bene cohæreant, nec à proposita materia animos longè distrahant, quę omnia non tam artis præceptis instituenda, quàm oratoris prudenti iudicio relinquenda.

CAPVT XIX.

De EPILOGO.

VLTIMA orationis pars est EPILOGVS, vel perora-

tio, quæ ad excitandos animos auditorum pertinet; vbi omnes eloquentiæ fontes aperiendi sunt.

Constat autem enumeratione, & amplificatione.

Enumeratio est per quam res dispersæ, & fusiùs dictæ vnum sub aspectum coniiciuntur. Hæc semper non eodem modo fiat, sed vario atque diuerso; vt suspicio artificij, & satietas euitetur.

Fit autem duabus de causis, aut memoriæ reficiendæ, si longior fuerit oratio; vel causę confirmandæ gratia, si conductis in vnum firmamentis, vis eorum maior futura sit.

Enumeratio verè fiet, aut res omnes quas dixeris, breuiter attingendo, aut in memoriam reducendo quas partes in propositione exposueris, & quibus rationibus vnamquamque propo-

ſitionis partem confirmaueris, aut per breuem comparationem noſtra argumenta cum aduerſariis conferendo.

Poteſt etiam enumeratio diuerſis figuris variari, modò interrogationibus, quæ ſuprà dicta repetant, aduerſarium vrgendo, modò per Proſopopœiam rerum inanimatarum, aut per Ethopœiam perſonarum, quæ cum amplificatione omnia reuocant in memoriam: modò exclamatione, admiratione, vel graui auditorum reprehenſione, quæ etiam amplificationi ſeruiat, quæ eſt ſecunda perorationis pars.

Amplificatio verò, quanuis variè per totum orationis corpus peragenda ſit, in fine tamen orationis quando auditor flectendus, vel à turpi actione deterrendus, vel ad honeſta excitandus, præcipuas habet partes: commodiſſimè autem perorata

iam causa, velut strue lignorum composita, affectuum flamma consurgit, quæ tanto erit ardentior, quanto probatio fuerit firmior, & efficacior. Qua de re non grauabor D. Aug. lib. 4. de doctrina Christiana subiicere sententiam. *Si qui audiunt*, inquit sanctissimus Doctor, *mouendi sunt potius quàm docendi, vt in eo, quod sciunt, agendo non torpeant, & rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, maioribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes, & increpationes, concitationes, & coercitiones, & quæcunque alia valent ad commouendos animos, sunt necessaria. Cùm verò id docetur, quod agendum est, & ideo docetur vt agatur, frustrà persuadetur verum esse, quod dicitur, si non ita dicitur, vt agatur.* Oportet igitur eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solùm

lium docere, ut instruat, & delectare, ut teneat, verumetiam flectere, ut vincat. Sicut est autem, ut teneatur ad audiendum, delectandus auditor; ita flectendus, ut moueatur ad agendum: & sicut delectatur, si suauiter loquaris; ita flectitur si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod angis quod commendas amplectatur, quod dolendum exaggeras, doleat, cùm quid delectandum prædicas, gaudeat, misereatur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo constituis, fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis, & quidquid aliud grandi eloquentia fieri potest, ad commouendos animos auditorum, non quid agendum sit, ut sciant, sed ut agant, quod agendum esse iam sciunt: si autem adhuc nesciunt, prius utique docendi sunt, quàm mouendi. Hactenus Augustinus, qui eleganter Rhetoricæ finem, eloquentiæ vim, & oratoris offi-

ciu

cium describit.

Vltimam concionis clausulam finiet optimè grauis aliqua sententia, quæ sua vi & dignitate grauiter afficiat, & pungat vehementer auditorum animos. Bonus sæpe & erit concionis terminus per apostrophen ad Christum, vel ad Patrem aliquando, & ad beatam Dei Matrem, vel Sanctos, præsertim in eorum festis diebus. Poterit aliquando conuerti oratio ad peccatorem, vel exorando, vel exhortando. Poterit excitato ingenti terrore sermo repentè abrumpi, vel cùm ingens aliquis affectus aut tristitiæ, aut commiserationis, aut lætitiæ & desiderij commotus est. Curet etiam diligenter ne in fine intepescat oratio, qua de causa ne multum immoretur in affectibus vehementioribus excitandis, nec enim vehemens a-

nimi

nimi, concitatio potest esse non breuis.

CAPVT XX.

De DISPOSITIONE *in singulis causarum generibus, & in primis* DELIBERATIVO.

ORATIONIS partibus explicatis, quamuis illarum præcepta omnibus causarum generibus deseruiant, quo tamen modo illa orator, præcipuè Ecclesiasticus, ad singula possit accommodare, disseramus, ac in primis de genere DELIBERATIVO.

Genus hoc continet suasionem, & dissuasionem, in quo attentos præcipuè facimus auditores, quamuis aliquando beneuolentia, & docilitas captanda sit.

Narratio in huiusmodi caussis ferè locum non habet: propositio tamen, & interdum diuisio, necessaria est, & scopus ante omnia præfigendus, ne auditor dubius hæreat, & incertus.

In suasione valent maximè tria bonorum genera à nobis sæpius repetita, honestum, vtile, & iucundum, quibus adiungitur facile, tutum, sine periculo, necessarium: id autem est, quod vt fiat, arbitrij nostri non est, sed tanquam ex diuina necessitate omnino fit.

Aliquando preter communes locos poterunt argumenta assumpta aliunde, nempe tota oratio partiri in hæc tria capita. *Primò*, id quod suadetur, quàm in Dei gloriam cedat. *Secundo*, quàm ad aliorum exemplum, & ædificationem. *Tertio*, quantum valeat ad nostram vtilitatem.

Poterit oratio etiam disponi.

Primò, proponendo præceptum Dei. *Deinde* promiſsionem ipſius Dei, poſt opem præſentem eius, mináſque contrafacientibus intentatas. Quæ deinceps omnia Scripturis, authoritate Patrum, ac ſapientium, rationibus & exemplis confirmabuntur.

In diſſuadendo ordo deſumetur ex contrariis omnino locis, oſtendendo id, quod diſſuadetur, quàm ſit turpe, inutile, iniucundum, periculoſum, non neceſſarium, quàm difficile, & impoſſibile eſſe oſtendere contendat.

Perſæpe, vt alibi diximus, contingit, vt eadem res honeſta ſit, non tamen vtilis, aut iucunda, aut facilis, vel econtrario. Qua in cauſa quæ deſunt minuenda ſunt, quæ inſunt rei amplificanda, & illis quæ deſunt, præponenda.

In Epilogo enumeratis argumentis affectus concitandi sunt, quibus ad id, quod iam probauimus, efficiendum impellamus.

Illud etiam proprium Ecclesiastici oratoris est, comprobatâ iam causâ præcepta tradere, & viam aperire, qua auditor & virtutem sequi, & vitium possit effugere. Quamobrem videat diligenter Ecclesiastes, ne ea, quæ dicuntur, à suis moribus dissentiant. Atque in hoc genere optimus perorandi modus esse solet, non ad vnam aliquam virtutem, sed ad omnia virtutum officia exhortari. Qua dicendi ratione epistola ad Romanos, & Hebræos clausit D. Paulus.

CAPVT XXI.

De DISPOSITIONE *in genere* EXORNATIVO.

PLVRES rationes in diſponendis eorum, qui commendantur, laudibus aſsignari ſolent.

Prima, & quæ maximè naturalis eſt ratio, ad hiſtoricam prope narrationem accedit, cùm ſeruatur ordo temporum, & ita res diſponuntur, vt euenere: primóque loco dicantur ea, quæ ortum alicuius præceſſerunt, cuiuſmodi ſunt genus, patria, parentes, & ſi qua præceſſerunt diuina prodigia. Inde quæ ad vitam ſpectant, vt educatio, pueritia, ſtudia; tum res in vita geſtæ, atque virtutes. Denique mors, ſi quid habet illuſtre, & quæ mortem conſequuntur.

Aliquan

In Epilogo enumeratis argu mentis affectus concitandi sunt quibus ad id, quod iam pro bauimus, efficiendum impella mus.

Illud etiam proprium Ecclesiastici oratoris est, comprobatā iam causâ præcepta tradere, & viam aperire, qua auditor & virtutem sequi, & vitium possit effugere. Quamobrem videat diligenter Ecclesiastes, ne ea quæ dicuntur, à suis moribus dissentiant. Atque in hoc genere optimus perorandi modus esse solet, non ad vnam aliquam virtutem, sed ad omnia virtutum officia exhortari. Qua dicend ratione epistola ad Romanos, & Hebræos clausit D. Paulus.

CAPVT XXI.

De DISPOSITIONE *in genere* EXORNATIVO.

PLVRES rationes in disponendis eorum, qui commendantur, laudibus aſsignari ſolent.

Prima, & quæ maximè naturalis eſt ratio, ad hiſtoricam propè narrationem accedit, cùm ſeruatur ordo temporum, & ita res diſponuntur, vt euenere: primóque loco dicantur ea, quæ ortum alicuius præceſſerunt, cuiuſmodi ſunt genus, patria, parentes, & ſi qua præceſſerunt diuina prodigia. Inde quæ ad vitam ſpectant, vt educatio, pueritia, ſtudia; tum res in vita geſtæ, atque virtutes. Denique mors, ſi quid habet illuſtre, & quæ mortem conſequuntur.

Aliquando hic ordo inuertitur, pro varietate locorum, & personarum, éstque secunda ratio disponendi, vt à nouissimis ordiamur tanquam recentissimis, quem ordinem commodè seruamus, cùm postrema & proxima vim habeant excitandi auditores, ad reliqua omnia, quæ præcesserunt, commendanda.

Tertia disponendi ratio est, cùm nullo ordinis tempore conseruato, omnes alicuius Sancti laudes eiúsque dicta, aut facta, ad summa quædam capita referimus, videlicet quomodo se gesserit erga Deum piè, erga proximos iustè, erga seipsum sobriè.

Quarta, forma est, cùm à minoribus ad maiora oratio, quasi per quædam incrementa & gradus, ascendit, ita vt semper crescat vsque ad summum.

Quinta est cùm res varias, & aliquando contrarias contexi-

mus:

mus: vt ſi de laudibus D. Pauli agens, dicas, quanta fuerit eius in aduerſis tolerandis patientia, in arduis ſuperandis fortitudo, quæ eius animi demiſsio, cùm dixerit, *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia blaphemus fui*; quæ inuicta eius conſtantia cùm addidit, *plus omnibus Apoſtolis laboraui.* Hæc autem inæqualis varietas, cùm parua magnis, humilia ſummis, læta triſtibus conferuntur, maximum affert orationi ſplendorem.

Sexta poteſt eſſe diſponendi ratio per comparationem, quæ maximè in exornationibus valet, & aliquando oratio tota ex comparatione contexitur; ſic cùm Ioſeph Patriarcha ſponſus vt Beatiſſimæ comparatur à D. Bernardo.

Septima, poteſt orator ad hæc tria capita laudes alicuius Sancti reuocare. Primùm vt explicetur

locus aliquis Scripturæ qui ad rem faciat, desumptus plerumque ex Euangelio, vel Epistola eius diei, solent enim Euangelia ea legi in Sanctorũ celebritatibus, quæ aliquid doceant, & contineant, in quo Sanctus, qui colitur, excellens habeatur. Post tractatum Scripturæ locum, & thesim aliquam, amplificabit egregia aliqua Sanctorum facta, ostendendo quàm illi conueniant, quæ suprà in communi dilleruerit. Deinde tertio loco, debet transire ad locum suasorij generis, excitando ad imitationem laudatarum virtutum. Nuda enim persæpe ac sola laus non multum vtilitatis affert. In miraculis verò, quæ imitari non possumus, nunc diuinam bonitatem, nunc ardentissimum Dei in suos amorem, paternam curam, singularem prouidentiam, infinitamque potentiam licebit

ostendere, quo plurimum commouentur auditores. Poterit etiam suis in locis apposita exhortatio, atque etiam reprehensio adhiberi in eos, qui leuiora non præstant, cùm Sancti ex eodem luto confecti tanto maiora præstiterint.

CAPVT XXII.

De genere DIDASCALICO, & aliis.

QVANVIS in quouis genere aliqua pars orationis docendis auditoribus persæpe concedatur, in hoc ferè tota oratio ad illos instruendos pertinet, ita tamen vt motus non desit. Meminisse enim debet Ecclesiasticus orator maximum discrimen inter se & præceptoré interesse, ille enim intellectum solum erudire studet, ipse volun-

tatem etiam mouere, & ad pietatis studium audientium animos inflammare, quod sæpius admonuimus.

In hoc genere dispositionis ordo, idem ferè est, qui inuentionis. Præfixo enim themate, quo docilis maximè reddendus est auditor, &, si causa petit, attentus etiam & beneuolus, in re primùm quærendum est, an sit, deinde eius natura quæ sit, tertio loco proprietates, quas habet, postremò causæ à quibus pendet, vel omissa quæstione, an sit, si rem esse in dubium non vocatur.

Primùm quid sit explicetur, tum quæ sint eius proprietates, quæ species, ac partes eius, gradus item, denique causas & effectus ostendere.

Cuiuis potest promptus esse ordo, quem in singulis materiis D. Thomas sequitur, qui planè in

seruanda methodo optimè excellit.

Aduertat tamen Ecclesiastes, ne semper eundem ordinem sequatur, sed pro re nata variet, nec retineat modos dicendi scholasticos, concisúmque disputandi genus, sed dilatet, & amplificet orationem. exempli gratia. Si de patientia loquatur, explicet quid sit eius natura, & in quo vera patientia sita sit, quódnam habeat obiectum, quos actus, ídque non concisis definitionibus, sed explicando, atque amplificando aliquas, vel sacræ Scripturæ, vel sanctorum Patrum sententias. *Tertiò* quæ sint huius virtutis affectiones, & propriæ conditiones, & attributa, quàm sit meritoria, quantas secum perfectiones inuehat. *Quartò* quibus modis acquiratur. *Postremò* ad eius studium excitandus est auditor.

In CONSOLATORIO genere, cùm oratio funebris habetur, nec tota in laudibus demortui, nec tota in consolationibus amicorum insumenda: sed tractato aliquo communi loco, qui vtrique deseruiat, præclara facta defuncti ostendantur, inde tertio loco consolationes amicorum petantur; quarto ad illius imitationem, vel ad aliquam aliam virtutem, vel pium opus, vel mortis memoriam orator excitet auditores.

In reprehensione idem ordo seruandus, qui in dissuasione, scilicet ostendendo quàm sit turpe & impium, inutile, perniciosum, iniucundum, difficile, item ex sacris locis, argumentando ex Dei voluntate, contra quam peccatur, ex præceptis, quæ violantur, ex Dei minis, & pœnis, quæ peccantibus imminent, in quam sententiam multa desumi pos-

sunt ex sacris Scripturis, præcipuè ex Prophetarum oraculis.

CAPVT XXIII.

De variis EVANGELII tractandi rationibus.

VNI cuique diligenter Ecclesiastes advertendum, ut ex supra dictis genus concionis spectet, omnique ex illius præceptis disponat, vel ex his modis, quos nunc assignabimus, quem maluerit, secundum nentis auditorem, [illegible]

Primò, solent aliqui breuissimè exponere totum Euangelium, per modum Paraphrasis cuiusdam, quod per summa capita cum lepore & claritate faciendum est, repetendo, si opus fuerit, breuiter superiora, ut connectantur præsentia, annotando loci & temporis circumstantias, cùm res postulat; deinde unum,

aut duo capita seliguntur, quæ prædictum thema comprehenderit, tota concione disputanda, & explicanda.

Secundò, Euangelium totum percurritur, & explicatur per modum homiliæ, quæ est quasi sermo valde familiaris, adhibendo aliquas licèt modicas amplificationes, exhortationésque. Hæc dicendi ratio, quæ communis fuit sanctis Patribus, habet tres partes; *primò* præparationem per modum exordij disponentis auditorem; *secundò* partem didascalicam, in qua dicetur aliquid circa sensum literalem; *tertiò* exhortationem morum cum aliqua precatiuncula ad Deum, cùm sese offert occasio.

Tertiò, distribuimus in aliquot membra totum Euangelium, ac per se singula consideramus, & quodlibet membrum habet distinctas suas considerationes, &

doctrinam morum, etiamsi inter se non habeant connexionem. Hic modus licèt ad delectationem plerumque valeat, quia noua & speciosiora, & magis varia afferri possunt, non tamen æquè ad vtilitatem valet; si enim orator nunc hunc, nunc illum affectum mouet, vix vnum assequetur, nam neutrum capit qui duos insequitur lepores, quid si quatuor.

Quartò, videtur plus habere grauitatis & ingenij, ac etian commodi, si instituatur de vnaquapiam re disputatio, eaque tractetur per aliquas considerationes ex ipso Euangelij contextu erutas, ad eandem doctrinam pertinentes. Hic modus facile recipit omnem dicendi varietatem, amplificationes, ac motus animorum. Vt in tertia Dominica Quadragesimæ potest agi de regno tyrannico dæ-

monis. Vbi tria tractari possunt. Quis hic Tyrannus sit, qui in ipso Euangelio dæmonium mutum, fortis armatus, spiritus immundus dicitur; deinde vbi exerceat suam tyrannidem, nempe in mundo, & anima peccatrice, quæ regnum schismaticum, ac diuisum, atrium, & domus vacans, scopis mundata, & ornata ibidem appellatur; postremò quibus modis regnat, nempe reddendo subditos, cæcos, surdos, & mutos.

Quintò, ipsa Euangelica historia aliquando habet suam methodum, & partitionem, quæ seruari potest. Vt in historia diuitis epulonis, potest explicari. *Primò* vtriusque conuersatio in hac vita; *secundò* vtriusque ex illa migratio; *tertiò* vtriusque post hanc vitam status.

Sextò, potest de vna aliqua Euangelij sententia, thematis loco

assumpta

aſſumpta, ordinari concio. Vt ſuper illo themate; *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus*, agendo de confeſſione, & proponam quatuor: *Primò, ite*, ad celebrandam illic confeſſionem; *ſecundò, oſtendite*, ſimplicem ac ſinceram futuram; *tertiò, vos*, accuſationem ſui; *quartò, ſacerdotibus*, obedientiam præſtandam confeſſariis.

Septimò, tota hiſtoria Euangelica, vel maior pars poteſt trahi & referri ad vnam aliquam ſententiam præcipuam Euangelij: vt in hiſtoria Lazari ſuſcitati, poſſet agi de Chriſti amore, cuius in eo facto plurima ſunt teſtimonia.

Octauò, aliquando ſola vna vox, quæ in ſacris literis varias habet ſignificationes, & vel in bonam, vel malam partem accipitur, occaſionem præbet, vt methodum aliquam ſequamur. Vt in illa verba, *Ego dico vobis non*

irasci, posset agi de ira bona, & mala; & in illa, *calicem meum bibetis*, de calice Babylonis, & Christi.

Nonò, animaduertendum est diligenter, quis sit præcipuus Euangelij scopus, ab Ecclesia & Spiritu sancto intentus, & de eo potest agi; vt prima Dominica Aduentus, de duplici aduentu Christi, primò cum magna demissione, & humilitate, secundò cum potestate magna & maiestate.

Decimò, in parabolis non est difficilis disponendi modus. *Primò* venari & explicare oportet parabolæ scopum. *Secundò* philosophari ex symbolica Theologia, exponendo similitudinem parabolæ, cum re, quam inuoluit, vt verbi Dei, cum semine; Christi, cum vite. *Tertiò* ad mores explicare, & ad persuadendum, quod Christus intendit.

Vndecimò, aliquando idem locus Euangelij diuersas habet explicationes SS. Patrum; methodus potest esse ipsa loci tractatio, secundùm diuersas expositiones. Vt in illa verba, *Nisi abundauerit iustitia vestra*, &c. quàm debeat iustitia Christiana non solùm fictam iustitiam Pharisæorum, sed veteris etiã legis iustitiã superare.

Duodecimò, ex Euangelio potest sumi occasio tractandi aliquam materiam necessariam, etiamsi valde discederet ab historia Euangelij, dummodo causa redderetur. Vt in Euangelio dæmonij muti, posset agi de confessione.

Decimotertiò, poterit Ecclesiastes *primò* totum Euangelium breui explicatione percurrere: *secundò* aggredi locum aliquem communem, vtilem, immorando in rebus maioris ponderis, huc omnes ingenij neruos intendat:

tertiò, deſcendat, & applicet ad particularia, terreat, conſoletur, hortetur, alióſque affectus moueat, prout materia exigit; *quartò* ad perorationem veniat per aliquam exhortationem & amplificationem.

Quanuis ex ſupradictis modis poterit in Euangelica lectione tractanda obſeruare, caueat autem, ne ſemper eodem modo procedat. Hoc enim in hac diſciplina perpetuum eſt, ne quid perpetuò fiat. Iam ſibi ab initio ſcopum finémque præfigat, & ad quem affectum auditores commoturus ſit: in ipſo exordio diſponat optimè auditores, remoueátque impedimenta, quæ efficiunt vt minus perſuaderi, aut moueri poſſint. Alij enim conſuetudine potius, quàm ſtudio proficiendi adducti, alij curioſitatis affectu, alij negligenter & oſcitanter con-

cionibus interſunt, quibus malis præceptis attentionis magna ex parte poterit prouideri.

CAPVT XXIV.

De DISPOSITIONE *in aliis concionibus.*

QVÆ de Euangelio tractando dicta ſunt ad alias conciones applicari poſſunt. Aperiam tamen, & oſtendam vias aliquas, in diuerſis materiis obſeruandas, quas etiam in explicatione Euangelij ſequi aliquando poſſumus.

Primus modus erit, vt tractetur priùs theſis aliqua vniuerſalis, ſecundò deſcēdatur ad hypotheſim. v. g. de ieiunio dicturus, loquar priùs de illo in genere, deinde de quadrageſimali. Theſi ſeruiunt loci communes, hypotheſi multæ circumſtantiæ par-

ticulares.

Secundò, potero ſequi ordinem quatuor cauſarum, in quibus maxima & plurima latent argumenta, ad noſtrum erga Deum obſequium probandum & perſuadendum, & ad quanuis aliam materiam, ſi attentè conſiderentur, & excutiantur cauſæ.

Tertiò, poſſunt in primis explicari, quę ad eſſentiam rei pertinent, deinde circunſtantiæ, & accidentia: vt de myſterio Natiuitatis Domini, primùm dicam ipſum myſterium, quantum ad vnionem & aſſumptionem humanæ naturæ, omnes eius cauſas, deinde & circumſtantias, loci, temporis, modi, & perſonarum percurrendo.

Quartò, vnus aliquis actus poteſt ex diuerſis obiectis conſiderari, & dilatari: vt explicaturus illa verba, *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus*, explicabo, quanto

in hac vita illos Deus viuos, quanto mortuos, quanto in æterna illos honore afficiat, vel illorum animas, corpora, ac res etiam minimas, & alioquin viles.

Quintò, si virtus, & actio aliqua bona sit suadenda, ex multis rationibus & argumentis seligam plerunque tria efficaciora, vt dicturus de eleemosyna, quàm similes nos Deo efficiat, quàm sit homini, maximè Christiano propria, quantis priuilegiis cumuletur à Deo, in hac & futura vita. Sic de ieiunij antiquitate, necessitate, & vtilitate.

Sextò, potest tractari materia per modum quæstionis, quæ tamen nec nimis acuta sit, sed quæ ad mores spectet, nec scholastico more tractetur. In hac variæ sententiæ afferantur, quæ oratoris more refutentur, dein-

de ea adducatur, quam suadere velim. Vt acturus de causa peccati, dicam aliquos referri ad cœlorum influxus, alios ad malam complexionem, alios ad malam educationem, vel tentationes dæmonum; quibus confutatis, dicã esse malam voluntatem.

Septimò, cùm ago de aliqua virtute, aut vitio, ex multis, de quibus disputant Theologi, aut Philosophi, vt sunt nomina diuersa, natura, species, gradus, actus, proprietates, indicia, caussæ, effectus, contraria, remedia, seligam duo, vel tria; quæ tractem, vt de orationis affectibus; de humilitatis gradibus, de iustitiæ speciebus.

Octauò, acturus de aliquo subiecto, seligam aliquam sacræ paginæ sententiam, & colligam ordinem ex eius verbis. e. g. si acturus de morte, sumam verba) *Memor esto iudicij mei, sic erit & tuum,*

mihi heri, tibi hodie. Vbi si singula verba expendero, modus erit tractandi, & ordinandi concionem facilis, grauis, & vtilis.

Nonò, potest concio tota continere aliquam similitudinem, vel parabolam, vel allegoriam, vel actum aliquem humanum, & per considerationem earum rerum considerabo aliquid spirituale: vt si de confessione agam, tanquam de medicina, vbi consideratur medicus confessarius, infirmus pœnitens, morbi peccata, remedia, pœnitentia peccatorum. Vel agam de confessione, tanquam de iudicij tribunali, vbi iudex est cõfessarius, reus pœnitens, peccata, quæ examinantur, deinde fertur sententia; sic per effectus cibi corporei ostendam effectus sacræ Eucharistiæ.

Decimò, non erit valde absimilis à superiore, qui sequitur, modus; is est, si proponatur ante

oculos mentis aliqua pictura, siue emblema, siue imago, in qua describantur, quæ alicui rei spirituali conueniant. Sic ex vestibus sacerdotis Aaron, qualitates Christiani sacerdotis exquiram. D. Bernardus religiosos dentibus sponsæ comparauit.

Vndecimò, potest tractari aliqua cōcio per symbolicā Theologiā, quæ applicat rebus spiritualibus corporalia, & sensibilia: vt, *Ego sum lux mundi*; *Tu es Petrus*; *Vos estis sal terræ*; tunc inuentis proprietatibus lucis, petræ, & salis, optimè licebit philosophari.

Duodecimò, potest orator scripturam vnam cum alia conferre, & figuram figurato comparare, notatis vtriusque circunstantiis; sic Eucharistiam per manna, Christum crucifixum per serpentem æneum explicabo.

Decimotertiò, potest tractari aliqua doctrina tanquam para-

doxum

doxum aliquod: vt, nemo læditur, nisi à seipso. Maior est libertas Ioannis vincti, quàm Herodis liberi: vbi oportebit remouere difficultates, quæ apparent, & veritatem firmis argumentis stabilire.

Decimoquartò, nominis etymologia aliquando non solùm materiam præbet, sed etiam ordinem: vt de nomine Iesu acturus, dicam illum totum esse salutarem, verbis, actionibus, oculis, manibus, exemplo, vita, & morte.

Decimoquintò, solet per modum dialogi institui concio, quod potest fieri dupliciter, vt solus concionator loquatur, referens colloquium inter personas, vel verè habitum, vel à se fictum; vel possunt ipsæ personæ loquentes introduci, vt in die Annunciationis Angelum, & sacratissimam Virginem. Quo in

dicendi genere, ita personarum decorem seruet orator vt meminerit se sacrum oratorem agere, non poëtam.

CAPVT XXV.

De triplici alia DISPOSITIONE *concionis.*

PRIMO vna atque eadem materia solet per plures conciones disponi, vt de confessione, de præceptis Decalogi, de nouissimis, &c.

Potest vnaquæque concio à suo themate exordiri, quæ particularem illius concionis tractationem contineat: vt de incertitudine mortis acturus dicam, *Nescitis diem, neque horam.* Vel poterunt omnes conciones idem thema proponere, *Memorare nouissima tua*; &c. singulæ autem conciones ordinentur, per ali-

quem ex ſupradictis modis, ad eum ſcopum, quem peculiariter ſibi orator in præſenti oratione præfixerit, & ad quem impellere velit auditores, vt ad timorem mortis, quia incerta eſt. In hoc dicendi genere commodum erit breuiter repetere ſuperiori concione dicta, quibus coniungat præſentem tractationem quam ita verſet, ita amplificet, variiſque rationibus, & exemplis probet, vt ſeſe intra cancellos propoſiti finis continens, non excurrat ad ea, quæ ſequentibus concionibus dicenda ſint; poterit tamen, cùm ſe res offert, vel in fine concionis ſe de illis acturum polliceri.

Frequens eſt alia dicendi ratio, quæ in enarrando celebriori aliquo exemplo verſatur, quod ad id, quod volumus perſuadere, accommodetur. Huic orationis generi deſeruiunt plurima, quæ

ſuperiùs dicta ſunt, ea præcipuè, quæ de narratione diximus cap. 8. Tractato enim priùs loco aliquo communi, vel ſententia aliqua ſacræ Scripturæ, quæ mihi thema conceſſit ad finem propoſitum accommodatum explicata, omnia adiuncta, tam quæ rem præcedunt, quàm quæ comitantur, & conſequuntur, expendenda ſunt, rerum deſcriptiones, colloquia perſonarum, amplificationes euentuum, affectuum permotiones adhibendæ.

Poſſunt etiam fieri digreſſiones aliquæ, quæ non multum ab inſtituta oratione diſcedant, confirmari etiam quæ dicuntur breuioribus aliis exemplis appoſitis rationibus & ſententiis.

Aliquando ad eundem finem duo exempla latiùs tota concione explicentur, inter ſe contraria, & per comparationem collata, vt ad mortis memoriam com-

men

mendandã, vnius exitus feliciſſimus, & alterius infeliciſſimus. Quoquomodo autẽ inſtituatur oratio, claudenda eſt graui exhortatione, & ſuaſione, quæ vrgeat, & pungat, feriátque auditores. Afferat autem exempla certa, & ex grauioribus authoribus deprompta; antiqua plus authoritatis, recentiora & noua plus motus habent.

Aliquando ſolet (hæc erit tertia concionis ratio ex tribus præpoſitis) longior aliqua hiſtoria, ex ſacris literis potiſſimùm aſſumpta, pluribus concionibus explicari, non cum maiori auditorum delectatione, atque vtilitate. Solet vnum omnibus concionibus thema pręponi, vel ſingulis proprium ex ipſo hiſtoriæ contextu deſumi. Hiſtoria in plures conciones diuiditur, ſingulęque eius partes fuſiùs dilatatæ, variíſque rationibus, & amplifi-

cationibus ornatæ ad hominum mores, ac virtutem aliquam ſuadendum, vel diſſuadendum vitium accommodantur, vt dictum eſt in ſuperiori tractandi exempli ratione.

Commoda exordiendi ratio eſt in prima concione, ſi hiſtoria illa, tanquam exemplar, ex quo plurima vitæ documenta peti poſſunt, proponatur, & commendetur, quod ad attentionem, docilitatem & beneuolentiam plurimum valet, in reliquis concionibus poterit exordiri à breui repetitione præcedentis hiſtoriæ, vt coniungat conſequentem; dilabatur deinde ad theſim aliquam, locum communem, vel ſententiam explicandam, ipſi hiſtoriæ accommodatam; explicet deinde, & amplificet hiſtoriæ partem præſenti concio-

ni aſſignatam, vt ſuperiùs diximus, quam ſolita exhortatio, & amplificatio claudet.

Hæc autem animaduertet in citandis ſacrarum literarum teſtimoniis, vt ea afferantur, quæ rei maximè conueniant, & quæ velut ſponte cadant, non quæ violente trahantur inuita. Ne ſint nimis crebra, ne trita & communia; eorum germanus ſenſus, ex alio eiuſdem ſacræ paginæ teſtimonio, vel ex communi SS. Patrum ſententia explicetur; nec plures tranſlationes, præcipuè ſi nihil habeant nouum, aut efficax, adducantur; præferat tamen ſemper vulgatam rem apertam, & perſpicuam; non opus eſt pluribus teſtimoniis comprobare, & velut obruere, niſi poſteriora prioribus aliquod addant, ſatius eſſet vnum aut alterum teſtimonium diligen-

tiùs expendere. Recitet fideliter, & seruata idiomatis, quo loquitur, proprietate, reddat & explicet fidelissimè.

* *
*





PARS IV.

De ELOQVVTIONE.

CAPVT I.

Quid ſit ELOQVVTIO, *&*
quæ eius virtutes.


LOQVVTIO eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. In qua ſpectanda ſunt præcipuè quatuor, vt propriè, vt perſpicuè, vt ornatè, vt congruenter dicamus. Tot enim ſunt elegantis orationis virtutes, vt propria, vt perſpicua, vt ornata, vt apta ſit, de quibus quatuor virtutibus cùm ſuo ordine dixerimus, quartam Rheto-

ricæ nostræ partem, eámque oratori maximè propriam, absoluemus.

CAPVT II.

De PROPRIETATE.

PROPRIA, & emendata est oratio, quæ eius linguæ, qua vtimur, phrases, & syntaxim seruat. Vt si quis Latinè loquatur, ita dicat, vt oratio propria & Latina videatur, non externa & Latinitate donata. Cui virtuti tria vitia opponuntur. *Primum* in singulis verbis, & dicitur Barbarismus, qui fit, cùm verbum aliquod vitiosè effertur. *Alterum* est in verbis coniunctis, & dicitur Solœcismus, cùm consequens verbum superiori non accommodatur. *Tertium* vitium est in linguę pronunciatione, spiritu, & vocis sono, & dicitur

Barba

Barbaralexis, id est, barbara di-ctio, vel pronunciatio. De quibus Crassus 3. de oratore sic admonet: *Atque vt Latinè loquamur, non solùm videndum est, vt & verba efferamus ea, quæ nemo iure reprehendat, & ea sic & casibus & temporibus, & genere & numero conseruemus, vt ne quid perturbatum aut discrepans, aut præposterum sit, sed & lingua, & spiritus, & vocis sonus est ipse moderandus.*

Barbarismus fit, cùm alicuius externæ linguæ vocem vsurpamus: vt si quis Hispanas Latinis inserat, vel econtrario; vel quando dictioni pronunciandæ addimus, vel detrahimus aut syllabam, aut literam, vel etiam vnam pro alia ponimus, vel transmutamus.

Solœcismus in contextu vocum consistit, cùm voces quidem propriæ sunt, sed malè con-

tra Grammaticę præcepta copulatæ.

Barbaralexis est, cùm syllaba alieno accentu pronunciatur: vt dócere, pro docére: vel consonantes, & vocales, non eo modo proferuntur, qui linguæ, qua loquimur, vel regionis, in qua versamur, proprius est: vt si quis duplex l, in voce illud, eo modo proferret, quo Hispani passim vtuntur in vocibus *llaues*, *lloro*, *llamo*, & similibus, quæ à verbis Latinis clauis, ploro, clamo sumuntur, in quibus prima consonans migrauit in l, alterum, vel literam g, eodem modo pronunciaret in linguæ verbo, ac in linguæ nomine, vbi post g, sequitur u, liquida.

Multa hîc Grammaticis disputanda relinquimus de speciebus & modis Solœcismi, & Barbarismi, quos etiam ad figuratam transferunt constructionem,

nem; repetat ibi, qui volet.

Capvt III.

De Perspicvitate orationis.

PRima & maxima hæc virtus orationis, ex sententia Aristotelis, & ratio, est euidens: nam ideo sermo est homini datus, vt sensa animi sui aliis aperiat; quæ nisi sermo intelligatur, suo fine carebit.

Perspicuitas consistit tum in verbis singulis, tum in coniunctis: in singulis, si illis vtamur propriis, & significantibus, modò ne sint obscœna, & sordida, non afferamus verba antiquata, & obsoleta, & quæ ab vsu communi sint remotiora, nec quæ plures habent significationes, nisi explicentur. In verbis coniunctis consistit perspicuitas, si

rectus sit, non nimis inuolu
tus, nec implicatus dicendi or
do, nec sermo tam longus, v
nec mentis intentione assequ
possint auditores, si parenthe
sim nimis longam, si amphibo-
logiam sermonis euitemus, s
nimiam etiam & concisam bre-
uitatem fugiamus. Quam etiam
virtutem adiuuant omnia qua
suprà tradidimus, Narrationis
præcepta. Atque illud Ciceronis
præcipuè obseruandum apud ru-
sticos rusticari summam esse e-
loquentiam: nec non illud Græ-
ci prouerbij, *Quantumuis rudiùs*
dicito, modò clariùs. Et alibi, *Quid*
prodest loquutionis integritas, quam
non sequitur intellectus audientis,
cùm loquendi omnino nulla sit
causa, si quod loquimur, non intel-
ligitur.

Oratio verò ex suggestu clari-
or esse debet, cùm & semel au-
dienda sit, & nemini interrogare

liceat.

liceat. Vnde si qua sunt dicta obscuriùs, possunt ac debent repeti: sententię etiam difficiliores per interpretationes ac similitudines explicari.

CAPVT IV.

De ORNATV orationis.

ORNATVS orationis (de congruitate agetur postea) non est, vt plerique ineptè putant, exquisita quædam elegantia, in qua magis verba, quàm res laudantur. *An ego*, inquit Quintilianus lib. 8. cap. 3, *fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia, & violas, & amœnos fontes surgentes, quàm vbi plena messis, aut graues fructu vites erunt: steriles platanos, tonsásque myrtos, quàm maritatas vlmos, & vberes oleas praeoptarem*. Maximam igitur

curam orator in rebus ipsis, magnam in verbis adhibeat, si velit perfectum orationis ornatum comparare.

De rebus multa dicta sunt in inuentione, & dispositione, aliqua etiam dicenda postea, cùm de figuris sententiarum agamus; nunc de verborum ornatu dicamus.

Hic etiam, vt proprietas, & perspicuitas, consistit in verbis singulis & in coniunctis. Verborum, si ea singula consideremus, alia sunt aliis grandiora, nitidiora, consonantiora, & quodammodo vocaliora. Consonantiora sunt, in quibus hæ vocales, a, o u, sunt frequentiores; vt quanquam, moderatio, concertare plusquam, etsi, modestia, confligere; grandiora sunt, quæ plu aliis significant, vt contrucidare plusquam necare; nitidiora quæ honestiùs dici possint, v

bos, non vacca.

His opponuntur exilia, humilia, & sordida. Exilia, vbi consonantiora non sunt, vel illa rei, vel orationis ratio postulat, vsurpari possunt: caueat autem orator ne eorum frequentatione nimis effœminata, & mollis reddatur oratio, vbi fortis & robusta esse debeat. Sordida, quibus offendi possunt castæ audientium aures, fugienda omnino sunt, vel circuitione dicenda: vt illud Plauti, *Iuit, quò saturi solent*, pro ad latrinas.

Humilia etiam euitentur, vel grandia fiant per synonymiam: vt abit, excessit, erupit, euasit; per comparationem, vt acer, acerrimus; per metaphoram, vt cupiditas, ardor; per Hyperbolem, vt currit, euolat; amor, ignis; per epitheta, vt immania pocula. Illud autem in vniuersum præcipi potest, vt rei grauitati, & dicen-

tis dignitati verba singula conueniant; si qua verò videbuntur duriora, excusationis aliqua formula præmuniantur, vt ita dicam, si licet dicere. Vt apud Ciceronem. Atque hæc siue beatitas, siue beatitudo, (vtrumque durum, sed vsu nobis verbum molliendum est) vix enim audebat pro beata vita, beatitudinem dicere. Sed verborum simplicium alia sunt inusitata, alia prisca, alia poëtica, alia translata, quæ diligēter animaduertet, qui idiomatis, quo vtitur, elegantiam, proprietatémque cognouerit. Sic apud Latinos inusitata sunt quæ adeò absoluta, & à communi vsu remota sunt, vt renocari in illum non debeant, vt hoc maximè faciundum aduorte, pro maximè faciendum aduerte. His proximè accedunt prisca, & vetusta, quæ atauorum nostrorum temporibus vsurpa-

ta, iam ferè in obliuionem abierunt, vt Latinè Auerruncasso, leuasso, pro auerto, leuo. Quanuis aliquando huiusmodi verbum, si suo loco ponatur, sua non caret venustate. Poëtica etiam verba, & phrases euitet orator, præsertim Ecclesiasticus, imò caueat, ne det occasionem auditoribus suspicandi tales scriptores, leues, & minus pudicos ab eo tractari. Translata, in quibus maximus est orationis splendor, sunt, quæ tropis à sua significatione in aliam transferuntur. De quibus nunc agendum est nobis.

Capvt V.

Quid & quotuplex sit Tropvs.

Tropvs est verbi, vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mu-

tatio. Dicitur mutatio verbi, quia septem sunt tropi, vel translationum modi in vno verbo, Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Catachresis, Metalepsis, Onomatopœia. Dicitur sermonis mutatio, quia quinque tropi fiunt in oratione, Allegoria, Ironia, Periphrasis, Hyperbole, Hyperbatō. Dicitur cum virtute mutatio, nam translata verba gratiora sunt propriis, quia, vt inquit Aristoteles, qui audit ex verbis translatis plus intelligit, & discit per quandam ratiocinationem, conferens rem, de qua est sermo, cum ea, de qua sumitur translatio, & animaduertens proportionem, & concludens quodammodo hanc esse illam. Nihil autem est ex illius sententia, quod ita delectet, sicut facile discere.

CAP

CAPVT VI.

De METAPHORA.

METAPHORA, Latinè *translatio*, cùm nomen, aut verbum transfertur ex loco, in quo proprium est, ad locum in quo proprium deest, aut translatum proprio melius est: vt lætas segetes, lætari proprium est hominis.

Tria autem in hoc tropo sunt obseruanda, quibus de causis fiat, quot modis fiat, & quid in eo fugiendum sit.

Metaphora vtimur, vel quia necesse est; quando enim non est verbum proprium, vsurpamus translatum, vt gemmare vites; vel quia significantiùs, quando translatum nomen plus significat, quàm proprium, vt incensus irâ, pro irato: vel quia decentiùs, quando translatum est elegan-

tius proprio, vt lumen ingenij, pro bonitate ingenij.

Fit quatuor modis; *primò* quando transfertur nomen à rebus animatis, ad res animatas: vt, allatrat mihi. Et illa, *Quare fremuerunt gentes. Secundò*, à rebus inanimatis ad res inanimatas, vt concentus virtutum & illa, *Aperi Libane portas tuas. Tertiò*, ab animatis ad res inanimatas, *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum. Quartò*, ab inanimatis ad res animatas. *Auferam à vobis cor lapideum.*

Psal. 2.

Zach 11.

Psal. 95.

Ezech 11.

Vitiat metaphoram dissimilitudo, vt cœli fornices, si longè deducta sit similitudo: vt Syrtis patrimonij, si metaphora nimis superlata sit, vt verruca, pro monte. Modicus huius tropi vsus illustrat orationem, frequens obscurat.

Cap

CAPVT VII.

De SYNECDOCHE.

SYNECDOCHE, Latinè *conceptio*, vel *intellectio*, frequentior est Poëtis tropus, & ad variandum sermonem necessarius. Fit octo modis. *Primò* cùm ex parte totum intelligitur, vt carina, pro naui. Virg. lib. 2.

Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Mucro pro gladio. *Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet.* 2. Reg. 2.

Secundò, cùm sumitur totum pro parte, vt flumen pro aqua eiusdem fluminis. Virg. lib. 1. Æneid.

Pabula gustassent Troiæ, Xanthúmque bibissent.

Ignis pro ligno aliquo incenso. Vt, *portabat in manibus ignem.* Gen. 22.

Tertiò, cùm singularis sumitur pro plurali. Virg. 2. Æneid.

—vterúmque armato milite complent.

Psal. 77. Et illa, *Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos.*

Quartò, pluralis pro singulari. Virg. lib. 2. Æneid.

—& nos aliquod noménque, decúsque
Gessimus.

Iob 2. Et illa, *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus.*

Quintò, genus pro forma, vt apud Ouid. fera pro vrsa. lib. 4. Trist. Eleg. 3.

Magna, minórque fera, quarum regit altera graias,
Altera sidonias, vtraque sicca rates.

Isa. 51. Et illa: *Nunquid non tu percussisti superbum?* idest, Luciferum,

Sextò, forma pro genere, vt Curius, pro homine frugi.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Ioseph, pro homine iusto. *Nihil patiebatur super contritionem Ioseph.* Amos 5.

Septimò, materia pro re, quæ fit ex illa. Virg. Æneid. 6.

Ære ciere viros, Martémque accendere cantu,

pro tuba ænea. & ferrum pro gladio: vt, *non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit hostes.* Iudic. 4.

Octauum modum addunt pleríque, cùm ex antecedentibus sequentia intelliguntur, vt Virgilianum illud Ecl. 2.

Aspice aratra iugo referunt suspensa iuuenci,
Et iam summa procul villarum culmina fumant.

Ecloga 1.

Maioréfque cadunt altis de montibus vmbra,

id est, iam aduesperascit. Sed hîc, meo arbitratu, nullus est tropus, cùm nullius vocis fiat significa-

tionis

tionis mutatio, ſed eſt argumentum ab adiunctis conſequentibus.

CAPVT VIII.

De METONYMIA.

METONYMIA, id eſt, *transnominatio*, quæ & Hypallage dici ſolet, fit ſex modis. *Primò*, quando ſumimus cauſas pro effectis, vt inuentores pro rebus inuentis; ſic Ceres pro pane, Bacchus pro vino: vt Comicus in Eunucho, *ſine Cerere & Baccho friget Venus*. Et illa aduersùs Iacob, *in circuitu eius hoſtes*, id eſt, aduersùs populum Iſraëliticum. *Secundò*, cùm ſumimus effecta pro cauſis, vt ſcelus pro ſcelerato, ità Comicus, *Vbi eſt ſcelus ille, qui me perdidit*; vel quod Poëtis eſt frequentiſſimum, cùm id, quod proprium eſt

effecti, tribuitur causæ, ita fugax timor, pallida mors, & alia pleraque, vt Virg. lib. 6. Æneid.

Pallentésque habitant morbi, tristísque senectus.

Huius secūdi modi est illud, *Erit in tēplo abominatio desolationis*, id est, abominali Antichristo; & illud, *Siccine separat amara mors*: *Tertiò*, quando sumitur continens pro contento, vt Roma pro Romanis. *Desine Roma tuos hostes.* Et illud, *surge illuminare Hierusalem.* *Quartò*, contentum pro continente, vt *vina coronant*, id est, pocula. Sic illud, *Nec litteras accepimus*, id est, epistolas. *Quintò*, possessorē pro re possessa, vt, *Annibal pro suis copiis.* Hinc passim dicitur, eo ad D. Petrum, D. Paulum, &c. sic Virg. lib. 2. Æneid.

—Iam proximus ardet
Vcalegon ——pro domo Vcalegontis.

Et illud, *debellabat Iudas filios Esau*

Dan. 9.

Reg. 15.

Isai. 6.

Actu 28.

Esau, id est, Iudæi Idumæos. *Sextò*, signum pro re signata, vt *fasces* pro consulatu, *palma* pro victoria. Hinc illud Ciceronianum,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Psal. 2. Hinc illud, *Ipse reget eos in virga ferrea.*

CAPVT IX.

De ANTONOMASIA.

ANTONOMASIA commutatio nominis dicitur: fit, quando ex accidentibus propriam significamus personam, per epitheta, modò illa sint adiectiua, modò non. sic illud Virgilij lib. 6. Æneid.

Tros Anchisiade, facilis descensus Auerni,

Iob 7. pro Ænea. Et illud Iob, *Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum.* Id frequentiùs fit, quando id

quod

quod pluribus conuenit, vni propter excellentiam tribuitur. Sic Virg. lib. 8.

Quid memorem infandas cædes, quid facta Tyranni,

id est, Mezentij. Sic illud, *Discipulus ille, quem diligebat Iesus,* pro Ioanne. In quo species illa est Synecdoches, quādo sumitur genus pro forma. Epithetis naturalibus, vt candida nix, liquidi fontes. rarò ac ne vix quidem permittuntur oratoribus; quanuis in Miloniana Cicero dixerit, cæcam noctem, & mutam solitudinem. Quæ verò epitheta emphasim habent, ornant maximè orationem, vt in Antonium Cicero Philip. 2. *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis compositione tantum vini in Hippiæ nuptiis exhausisti, vt tibi necesse fuerit vomere postridie.* Sic illud, *Romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Multiplicata verò epithe-

Ioan. 19.

Eccli. 21.

ta,

ta, quæ inſtar definitionis ſunt, plurimum augent orationem, vt diximus 2. cap. de Amplificatione.

Capvt X.

De tribus aliis Tropis, *qui fiunt in vno verbo.*

Catachresis, Latinè *abuſio*, non habentibus nomen ſuum, accommodat quod in proximo eſt. Sic *Parricida*, pro eo qui patrem interficit. *Piſcina*, pro quouis lacu. Ita Virg. lib. 2. Æneid.

—Equum diuina Palladis arte
Ædificant.

Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina. Differt à metaphora, nam illa ex re omnino diuerſa cum ſimilitudine transfert nomen, hæc ex re proxima it nomen accommodat, vt no-

multum à sua significatione distet.

METALEPSIS, id est, *transsumptio*; rarus tropus, & ad Poetas magis, quàm ad oratores spectans, fit cùm ex alio in aliud viam præstans, alicuius dictionis significationem denotat, & in re significata, est gradatio quædam, ita Ouidius 5. Trist. Eleg. 11.

Vt sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister,
Facta est Euxini dura ter vnda maris.

Vbi *Ister concretus* pro gelu, *gelu* pro hyeme, *hyems* pro anno: & sic esto de vnda. Hinc illud Psalmi, *Labores manuum tuarum manducabis*. Labores enim posuit pro iis, quæ laborando acquiruntur. *Psal. 127.*

ONOMATOPOEIA, id est, *fictio nominis*, quando aptantes affectibus voces, verba nouamus; sic Ennius,

At tuba terribili sonitu taratantara dixit.

Sic illud, *cymbalum tinniens, rugitus Leonis.*

Nouantur autem verba apud Latinos quatuor modis, similitudine, imitatione, inflexione, & adiunctione.

Similitudine nouantur verba, quando ad vnius similitudinem aliud inuenimus, vt, græcizo, latinizo. Græcismus, Latinismus. Hæc verba per similitudinem nouata sunt quadruplicia. In *urio*, quæ appetentiam animi significant, vt dormiturio, esurio; vnde *syllaturit*, id est, vult esse alter Sylla. In *sco*, rem inchoatam ostendunt, vt duresco, mollesco, lentesco, iam durus fio. In *izo*, imitationem, vt hebraizat, imitatur Hebræos, vnde Hebraismus. In *ur*, studium, & occupationem, vt, philosophatur, rusticatur, græcatur.

Imitatione nouantur verba, quando ipſo nomine exprimimus naturam rei, vt mugitus bouis, clangor tubarum, atque id proprium eſt Onomatopœiæ.

Inflexione nouantur verba, quando ex vna dictione aliam deducimus; ſic à penula, penulatus, ocrea, ocreatus, & à bibo, biboſus.

Adiunctione, quando ex diuerſis aliud componitur, vt verſutiloquus.

Nouatis verbis modeſtè nobis vtendum eſt, vt cum aliqua excuſationis formula: vt ita dicam, ſi licet dicere, aut Lutherus eraſmizat, aut Eraſmus lutherizat.

Onomatopœiam nonnulli à tropis excludunt, quia nulla ibi fit nominis tranſlatio, quorum mihi ſententia non diſplicet.

CAPVT XI.

De TROPIS, *qui fiunt in oratione.*

EX TROPIS, qui fiunt in pluribus verbis, primus est ALLEGORIA, quæ *inuersio* Latinè dicitur, quæ aliud verbis, aliud sensu ostendit, & est continuata quædam Metaphora. Sic Horatius lib. 1. Ode 14.

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus. ô quid agis! fortiter occupa
Portum: nónne vides, vt
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemant? &c.

Vbi *nauim* pro Republica, *fluctuum tempestates* pro ciuilibus bellis, *portum* pro pace atque concordia posuit. Hic autem dicendi modus per Allegoriam est vsitatissimus in sacris literis. Vt

illa, *Vineam de Ægypto transtulisti; eiecisti gentes, & plantasti eam; extendit palmites suos vsque ad mare; & vsque ad flumen propagines eius.* vbi Propheta de Israelitico populo loquitur. Psal. 79.

Si obscurior est Allegoria, transit in Ænigma, quod est sermo translatus, nodosus & inuolutus, atque ideo oratori fugiendus, quia perspicuitati repugnat orationis; aliquando tamen, vbi res postulat, poterit adhiberi. Vt illud,

Mater me genuit, quæ rursum
gignitur ex me.

Et illud Sansonis, *De comedente exibit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* per primum nix, per secundum fauus in ore leonis inuentus ostenditur. Iudic 14.

Huc etiam spectat PARABOLA, quæ frequens est in Euangelio. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & misit seruos suos,*&c. Luc. 14.

PAROEMIA etiam, vel PROVERBIVM, quæ eſt celebris alicuius ſcriptoris, vel antiquitatis ſententia. Vt Horatianum carmen de Arte poëtica,

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Et illud, *Vt canis reuertens ad vomitum.* Et illud, *Medice cura teipſum,* quæ ſpecies quædam ſunt Allegoriæ.

IRONIA, Latinè *illuſio*, contrarium verbis, quam ſenſu oſtendit. ea intelligetur aut pronunciatione, aut perſona, aut rei natura. Pronunciatione, cùm ipſo vocis tono irridentis animũ oſtendimus; perſona, cùm deformem hominem, pulchrum appellamus; rei natura, cùm ex ipſa re contrarium omnino cognoſcimus. Ita Turnus apud Virgilium lib. 11.

——— méque timoris
Argue tu Drance, tot quando

ſtragis

stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit.

Sic illud Eliæ, *Clamate voce maiore; Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit.* 3. Reg. 18.

PERIPHRASIS, quæ *circumloquutio* dicitur, aut ornatus comparandi, aut fœditatis evitandæ causa, aut necessitatis supplendę gratia, quod paucioribus verbis dici poterat, pluribus exponit, Poetis tamen est, quàm oratoribus, frequentior. ita Ouidius lib. 1. Trist. Eleg. 3.

Iámque quiescebant voces hominúmque, canúmque,
Lunaque nocturnos alta regebat equos,

id est, media nocte. Et illud, *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet*, &c. Sap. 18. Ita D. Paulus, *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolua-* 2. Cor. 5.

tur, quòd ædificationem ex Deo habeamus, domum non manu factam, æternam in cælis.

HYPERBOLE, id est, *superiectio*, fit vel augendo vel minuendo aliquid supra veritatem, vt in Verrem Cicero, *Versabatur in Sicilia longo interuallo, non Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos & crudeles tyrannos) sed nouum quondam monstrum ex vetere illa immanitate, quæ in eisdem versata locis dicitur; non enim Charybdim tam infestam, nec Scyllam nauibus, quàm istum in eodem freto fuisse arbitror.* Sic illud; *Terrebit eos sonitus folij volantis.* Leu. 26.

HYPERBATON, id est, *transgressio*; diuidit dictionem, vel simplicem, quamuis durius sit; vel compositam, quod elegantius est, vt paululum ordine perturbato dictionis suauior

uior ſit oratio. Sic Virgilius lib.6.

Hac Troiana tenus fuerit fortuna ſecuta,

id eſt, hactenus. Et illa, *Vſquequo piger dormies?* pro quouſque. Prou. 6.

Nonnulli *Hyperbaton* ex tropis excludunt, quia vox non transfertur ex ſua ſignificatione in aliam. Quanuis autem de Latinæ linguæ tropis, & exempla & præcepta tradidimus, non difficile erit ea ad quanuis linguam transferre; habent enim ſingulæ ſuas Metaphoras, Catachreſes, & Onomatopœias proprias, & nouandi voces modos ſpeciales. Atque hactenus de ornatu, qui eſt in verbis ſingulis, nunc eum, qui eſt in coniunctis, explicabimus.

CAPVT XII.

Quid, & quotuplex sit FIGVRA.

ORNATVS, qui est in verbis coniunctis, fit per figuras, quas Græci dicunt σχήματα. Est autem FIGVRA conformatio quædam orationis remota à communi, & primùm se offerente ratione. Nam simplici oratione dicere poterat Apostolus: Nulla res me separabit à charitate Christi. at quanto vehementius est,
Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas*, &c.

Sunt autem figurarum duo genera, aliæ verborum, aliæ sententiarum: verborum sunt, quæ venusta vocum collocatione constant, qua sublata, illa tollitur figura; sententiarum sunt, quæ non in verbis, sed in ipsis

rebus suam habent dignitatem.

Figuræ verborum quatuor maximè fiunt modis, per adiectionem, detractionem, similitudinem, & dissimilitudinem.

Caput XIII.

De Figvris, *quæ fiunt per Adiectionem.*

Prima est Repetitio, cùm idem verbum, vel oratio crebrò à primo repetitur. Vt Cicero Philip. 2. *Accusa senatum, accusa equestrem ordinem, accusa omnes ordines*, &c. Et illa. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros*, &c. *Psal 28.*

Conversio est, cùm huiusmodi repetitio in fine orationis fit. Vt, *Pœnos Populus Romanus iustitiâ vicit, armis vicit, liberalitate vicit.* Et illa, *Vnusquis-* *1. Cor 14.*

que vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet.

COMPLEXIO est, quæ repetitionem, & conuersionem complectitur, vt Cicero de lege Agraria, *Quis legem tulit? Rullus; quis comitiis præfuit? Rullus.* Et illa, *Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in æternum misericordia eius. Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in æternum misericordia eius. Qui firmauit terram super aquas: quoniam in æternum misericordia eius.*

Psal. 135.

ANADIPLOSIS congeminatio dictionis, quæ præcedentem versum claudit, vt incipit sequentem. Vt Virg. Eclog. 10.

Pierides: vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas.

Et

Et illa, *Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Ierusalem, Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas*, &c. Psal. 121.

EPANALEPSIS, cùm eiusdem versus idem est finis & initium. Vt Virg. 1. Æneid.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Et illa, *Deus, quis similis erit tibi: ne taceas, neque compescaris Deus.* Psal. 82.

CONDVPLICATIO, cùm idem verbum nulla alia interposita voce geminatur. Virg. lib. 9.

Me, me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum.

Et illa, *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos.* Mat. 23.

TRADVCTIO, cùm verba paululum immutata ponuntur. Vt Cic. 7. in Verrem, *Certus Iudex, certa lex, certum tribunal.* & Virg. 4. Æneid.

Littora littoribus contraria, fluctibus vnda.

Ephes. 4. Et illa, *Vnus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

REGRESSIO semel proposita repetit, vt oratio clarior, & illustrior fiat. Vt Ouidius Epist. 2.

Demophoon ventis, & verba, & vela dedisti,
Vela queror reditu, verba carere fide.

Rom. 11. Et illa, *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei.*

SYNONYMIA, cùm verba idem significantia congregantur: vt illa Ciceronis in Catilinam Orat. 1. *Egredere ex vrbe Catilina, patent portæ, proficiscere.* Et illa, *Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.* Psal. 105.

POLYSYNDETON, coniunctionum est repetitio, siue multitudo. Vt, Virg. Georg. 3.

——— *tectúmque, larémque,*

Armaque, Amyclaeúmque canem,
Cressámque pharetram.

Et illa, *Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* Psal. 40.

GRADATIO quandam velluti catenam verborum facit. Vt Virg. Eclog. 2.

Torua leena lupum sequitur, lu
pus ipse capellam:
Florentem cythisum sequitur la-
scina capella.

Et illa, *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem; probatio verò spem, spes autem non confundit.* Rom. 5.

ARGVMENTATIO per Soritem fit semper huiusmodi gradationibus.

DISIVNCTIO fit, quando vnicuique orationis membro suum verbum apponitur, cùm satis vnum esset omnibus. Vt Cicero pro Archia, *Homerum*

Colophonij ciuem esse dicunt suum; Chij suum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi verò suum esse confirmant. Et illa, *Siue prophetiæ* 1.Cor. 13. *euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.*

CAPVT XIV.

De FIGVRIS *quæ fiunt per* DETRACTIONEM.

PER DETRACTIONEM fit SYNECDOCHE, Latinè *conceptio*, vel *intellectio*, non tropus ille, sed verborum figura, cùm subtractum verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur. Vt Cicero ad Brutum, *sermo nullus, scilicet nisi de te*, supple, habetur, vel aliquid huiusmodi. Et illud, *Thronus eius sicut sol* Psal. 88. *in conspectu meo*, supple, est, vel versatur.

APOSIOPESIS, quæ inter

senten

ſententiarum figuras numeratur, fit, non cùm vnum verbum manifeſtum deſideratur, vt in Synecdoche, ſed cùm dictis quibuſdam reliquum, quod cœptum eſt dici, relinquitur audientium iudicio, ídque cum alicuius affectus ſignificatione. Vt Virg. lib. 1. Æneid.

Quos ego? ſed motos præſtat componere fluctus.

Et illa; *Anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo?* Psal. 6.
Et illud Iſaiæ, *Dicite iuſto, quoniam bene.* Cap. 3.

DISSOLVTIO contraria Polyſyndeto, cùm ſine coniunctionibus ſententiæ afferantur, redditque orationem concitatiorem, vt Polyſyndeton grauiorem. Vt Cicero pro Archia, *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium præbent.* Et illud, *Iubilate Deo omnis terra,* Pſ. 65.

Psalmum dicite nomini eius; date gloriam laudi eius.

ADIVNCTIO contraria est disiunctioni, in qua ad vnum verbum plures sententiæ referuntur, quoquo loco illud collocetur. Vt Virg. 3. Æneid.

Troiugena interpres Diuûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui sidera sentis.

Ephes. 4. Et illud, *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis.*

CAPVT XV.

De FIGVRIS, *quæ fiunt per Similitudinem.*

PRIMA est ANNOMINATIO, quæ est verborum similitudo, & quædam veluti collusio in dissimili sententia. Sic Martialis lib. 1. Epig. 66.

Litigat, & podagrâ Diodorus, Flacce, laborat.
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est.

Et illud, *Videte malos operarios, videte concisionẽ; nos enim sumus circuncisio.* Frequens est D. Bernardo mellifluo hæc figura: vt, *Monachorum cellæ non sunt iam eremiticæ, sed aromaticæ.* Et alibi, *Hoc in cellis agant, quod Angeli in cœlis.* Aduertendum est in vnoquoque idiomate suas esse speciales annominationes, quæ ad aliud translatæ non eandem venustatem seruare possunt. Philip 3.

Similiter cadens, cùm verba in eadem tempora, & nomina in eosdem casus cadunt. Ita Cicero, *Quid tam commune, quàm spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis.* Et illud, *Qui virum non contristauerit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum esu-* Ezech 18.

rienti dederit, & nudum operuerit vestimento.

SIMILITER DESINENS, cùm siue casus sint in verbis, siue non, similes tamen exitus sunt. Quale est illud Ciceronis, *Non modò ad salutem eius extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam.* Et illud, *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.*

Eccl. 7.

COMPAR habet orationis membra, quæ constant ex pari numero syllabarum; vt est illud, *Nequaquam mihi cum eo res est, qui neque finem habet cupiendi, neque modum statuit vtendi, & multa desideria egentis est regnum, & nihil parcere egestatis est initium.* Sic illud, *Persecutionem patimur, sed non derelinquimur; deiicimur, sed non perimus.*

2. Cor. 4.

CAPVT XVI.

De FIGVRIS *quæ fiunt per* DISSIMILITVDINEM.

CONTRAPOSITVM est cùm verba verbis, & sententiæ sententiis opponuntur. Sic illud Ouidij 1. Metamorph.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Et illud, *Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* *Isai. 3.*

COHABITATIO genus est contrapositi, cùm res diuersæ in eadem re, vel persona simul copulantur. Vt, *sapienter indoctus, & prudenter nesciens.* Et illud, *Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Christus.* *Gal. 2.*

COM

COMMVTATIO pertinet etiam ad Contrapositum, cùm duæ sententiæ inter se discrepantes ita efferuntur, vt à priori posterior contraria proficiscatur. Vt Cicero pro Cluentio, *Vt sine culpa inuidia ponatur, & sine inuidia culpa plectatur.* Et illud, *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.*

2.Reg. 19.

CAPVT XVII.

De FIGVRIS SENTENTIARVM.

FIGVRÆ SENTENTIARVM, quæ non in verbis, sed in ipsis rebus quandam habent dignitatem, nullo certo numero, aut lege continentur. eas tantùm apponemus de quibus inter authores plurimos constat.

Prima est INTERROGATIO, quoties non sciscitandi gratia

sumi

ſumitur. Vt Virg. 1. Æneid.

Sed vos qui tandem? quibus aut
veniſtis ab oris?

Et illa, *Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Matt. 19.

Sed fit interrogatio, quæ figura eſt ſententiarum, inſtandi, & vrgendi, & alicuius affectus exprimendi gratia: vt Sinon apud Virgilium Æneid. 2.

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ
me æquora poſſunt
Accipere?

Et illa, *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum Omnipotẽtem reperies? Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces?* Iob 11.

RESPONSIO, cùm aliud roganti aliud reſpondetur, quia ſic vtilius. Vt Virg. Eclog. 3.

Non ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca?

Cui

Cui respondet,

An mihi cantando victus no
redderet ille?

2. Reg. 18. Sic illud, *Est ne pax puero Absa lom?* Regi autem Dauid respon dens Chusi, *Fiant*, inquit, *sicu puer, inimici domini mei regis.*

SVBIECTIO, cùm orator interrogat seipsum, & respondet sibi. Vt Cicero pro Cælio, *Domus tibi deerat? at habebas; pecuniâ superabas? at egebas.* Sic

Rom. 7. illud, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.*

DVBITATIO, cùm quærere videtur orator, vnde incipiat, aut vbi desinat, & quid dicat. Sic Virg. lib. 3. Æneid.

Eloquar? an sileam, gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo.

Iob 16. Et illud, *Sed quid agam? si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet à me.*

OCCVPATIO, qua iis, quæ nobis obiici poſſunt, priùs ipſi reſpondemus. quæ figura tum pluribus in locis, tum maximè in procemio locum habet. Vnde Cicero Diuinationem in Verrem eſt exorſus, *Mirabitur fortaſſe quiſque veſtrûm*, &c. Sic illud, *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia. Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet? abſit.* Rom. 5. Rom. 6.

CORRECTIO, quæ tollit ſententiam aliquam, & aliã, quæ magis idonea videtur, emendat & corrigit. Quale Petrarchę epitaphium de puero,

Vix mundi nouus hoſpes eram, vitæque volanti.
Obuia mors, fallor, obuia vita fuit.

Sic illud, *An Iudaeorum Deus tantùm? nónne & Gentium? Imò & Gentium.* Rom. 3.

COMMVNICATIO, cũ no-

ſtræ cauſę confidentes vel ipſe
iudices, vel aduerſarios, vel au
ditores conſulimus. Vt, *Vos inte
rogo, quid tandem fieri oportuit? com
munem rem agi putate, ac vos hu
rei præpoſitos eſſe.* Et illud, *Circui*
Ier. 5. *vias Ieruſalem, & aſpicite, & con
ſiderate, & quærite in plateis eiu
an inueniatis virum facientem iu
dicium, & quærentem fidem: & pro
pitius ero ei.*

HYPOTYPOSIS illuſtri
explanatio rei, & quaſi gerantu
ſub aſpectum, ſubiectio. Quali
eſt illa Ciceronis in Verrem
*Quòd ſi iſtum Iudices veſtris ſen
tentiis liberaueritis: ſtatim ſicut
cauea leo emiſſus, aut aliqua teter
rima bellua ſoluta ex catenis voli
tabit, & vagabitur in foro, acuen
dentes inuiſos in cuiuſque fortuna
in omnes amicos atque inimicos, no
tos atque ignotos incuſans, aliorum
famam depeculans, aliorum capi
oppugnans, aliorum domum atqu*

fam

familiam perfringens, Rempublicam funditus labefactans. Hinc illa descriptio equi apud sanctum Iob, *Terram vngula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis. Contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus, feruens, & fumans sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Sic describuntur loca, tempora, res creatæ omnes, actiones item variæ, vt bellum, conuiuium. Personæ item, vt Rex, miles, sacerdos. mores item personarum tam in bonum, quàm in malum, vt detractoris, irati, inuidi. Fit aliquando descriptio cum apposita similitudine, & dicitur imago, vt detractoris sub cane, luxuriosi sub sue. Aliquando fit cum sermocina-

Cap. 39.

tione, cùm datur sermo personi seu verè, seu fictè, vt dicetur in Prosopopœia.

ETHOPOEIA imitatio vitæ vel morum alienorum, quando fingimus quidnam alij dixerint vel fecerint: vt Dido moriens apud Virgilium lib. 4. Æneid.

Incubuitque toro, dixitque nouissima verba.
Dulces exuuiæ, dum fata, Deúsque sinebant,
Accipite hanc animam, méque his exoluite curis.
Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi,
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Vrbem præclaram statui; mea mœnia vidi:
Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi.
Felix heu nimium felix: si littora tantùm
Nunquam Dardaniæ tetigissent

nostra carina.

Et illud, *Dixerunt impij cogitantes apud se non rectè: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis,*&c. Sap. 2.

PROSOPOPOEIA cùm rebus mutis, & hominibus vita defunctis vocem, & iis quæ corporis expertia sunt, corpus etiam tribuimus, & tunc appellatur Idolopœia. Sic Cicero in M. Antonium, *Quòd si nunc ille Brutus reuiuiscat, & hic ante pedes vestros adsit, non hac vteretur oratione? Ego Reges eieci, vos Tyrannos introducitis: ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos partam seruare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberaui; vos liberi sine periculo esse non curatis.* Sic illud, *Sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam, dicens: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. In-* Prou. 8.

telligite paruuli astutiam,&c.

APOSTROPHE, cùm loquentes cum aliis ad alios sermonem conuertimus, frequens tam Poetis, quàm oratoribus omnibus. Egregia est illa Isaiæ, *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te. Laudate cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus; iubilate extrema terræ, resonate montes laudationem.* Metri gratia Apostrophem sæpius efficiunt Poetæ. Vt illa Ouidij lib. 3. Trist. Eleg. 8.

Cap. 44.

Nunc ego iactandas optarem sumere pennas,
Siue tuas Perseu, Dædale siue tuas.

EMPHASIS altiorem præbet intellectum, quàm quem verba ipsa declarant; cuius duæ sunt species. Altera, cùm ex ipsis verbis latens aliquid intelligitur. Vt Virgilius lib. 2. Æneid.

Demissum lapsi per funem.

ex quo quanta esset equi altitudo colligitur. Et cùm sacra Scriptura de Goliath dixit, *Hasta illius quasi liciatorium texentium.* 2. Reg 21.
Vt prodigiosum illius corporis vastitatem depingeret. Altera species Emphasis est, quæ posita est in voce, quæ aliquando omnino vel supprimitur, vel etiam abscinditur. Vt Cicero pro Ligario, *Quòd si in tanta fortuna bonitas imacta non est, quam tu per te, per te, inquam, obtines, intelligo quid loquar.* Tacuit enim illud, non deesse homines, qui Cæsarem ad crudelitatem impellerent. Sed hanc nonnulli Aposiopesim vocant, quam semper Emphasis comitatur, de qua supra. Illa autem frequentior est Emphasis, quæ vel in pronominibus, vel in nominibus propriis consistit. Vt Virg. lib. 1. Æneid.

Ast ego, quæ Diuûm incedo re-

 gina,

gina Iouisque
Et soror,&c.

Ioan. 13. Illa est elegantissima, *Tu mihi la-*
uas pedes? Et illa, *Ego sum, ego sum*
Is. 43. *ipse, qui deleo iniquitates tuas pro-*
pter me, & peccatorum tuorum non
recordabor.

SVSTENTATIO qua diu sus-
penduntur auditorum animi, &
aliquid postea, vel grauius, vel
leuius subiungitur. Vt Martialis
lib.6.Epig.51.

Quòd conuiuaris sine me tam sa-
pe Luperce:
Inueni, noceam qua ratione
tibi.
Irascar, licèt usque voces, mittás-
que, rogésque.
Quid facies? inquis. quid fa-
ciam? veniam.

Iob 19. Et illud, *Quis mihi tribuat, vt scri-*
bantur sermones mei? Quis mihi
det, vt exarentur in libro stylo fer-
reo, & plumbi lamina, vel celte
sculpantur in silice? scio enim quòd

Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.

PRÆTERMISSIO, cùm dicimus nos præterire, aut nescire, aut nolle dicere, id, quod tunc maximè dicimus. Vt Virg. lib. 10. Æneid.

Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
Quid tempestatum Regem, ventósque furentes
Æolia excitos? aut actam nubibus Irim.

Sic D. Paulus post longam exemplorum inductionem, *Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna.* *Heb. 11.*

LICENTIA est orationis libertas, atque fiducia liberiùs affectum mentis explicans. Sic

Cicero pro Sylla, *Adeste omne animis, qui adestis corporibus, erigite mentes, & aures. Ego consul, cùm exercitus perditorum ciuium clandestino scelere conflatos crudelissimum, & luctuosissimum exitium patriæ comparasse scirem, cùm ad occasum interitúmque Reipublicæ Catalina in castris: in his autem templi atque tectis dux Lentulus esset constitutus, meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sin exercitu quinque hominibus comprehensis atque confossis, incensione vrbem, internecione ciues, vastitat Italiam, interitu Remp. liberaui, eg vitam omnium ciuium*, &c. Sic & Moyses ad Deum, *Aut dimitte ei hanc noxam, aut si non facis, dele m de libro tuo quem scripsisti.*

Exod. 32.

CONCESSIO, cùm orator videtur iniqua pati, atque concedere, ac paruipendere. Vt qua pòst subiunxerit, grauiora vi-

dear

deantur. Sic Cicero 7. Act. in Verrem, *Sit sacrilegus, sit fur, sit flagitiorum vitiorúmque omnium princeps: at est bonus Imperator.* Sic sanctus Ezechiel, cùm longa oratione Ierusalem flagitia plurima, & maxima prosecutus esset, quasi nulla essent, & exigua, addit, *Et accidit post omnem malitiam tuam (væ væ tibi, ait Dominus Deus) & ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.* Ezec. 16.

PERMISSIO concessioni non dissimilis, sed illa multo est grauior, & amarulentior. Vt Cicero in Catilinam, *Egredere ex vrbe Catilina, patent portæ, proficiscere, confer te ad Manliana castra, concita perditos ciues, excita perditam iuuentutem,* &c. Sic illud, *Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum,* Eccl. 11.

& scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.

IRONIA sententiarum, quæ ferè semper comitatur permissionem, differt à tropo: nam illa breuior est, & apertior, & vno tantùm verbo fieri potest: hæc longior est & obscurior, & totius voluntatis fictio. Qua exorsus est Cicero orationem pro Ligario, *Nouum crimen C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum*, &c. Illa vsus est Ieremias, cùm denunciato Chaldæorum aduentu, adiungit, *Præparate scutum, & clypeum, & procedite ad bellum; iungite equos, & ascendite equites: state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis. Quid igitur? vidi ipsos pauidos, & terga vertentes, fortes eorum casos.*

Cap. 46.

DEPRECATIO cùm opem alicuius imploramus, vt Virg. lib. 1. Georg.

——— vos ô clarissima mundi

Lumi

Lumina, labentem cœlo, quæ ducitis annum:
Liber, & alma Ceres.

Et illa, *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem.* Psal. 43.

OPTATIO, quæ voti alicuius & desiderij præbet significationem. Vt Virg. Eclog. 9.

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos:
Sic cythiso pasta distentent vbera vaccæ.

Et illud, *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.* Iob 14.

EXECRATIO, qua malum alicui imprecamur. Vt Virg. lib. 8. Æneid.

Quid memorem infandas cædes, quid facta Tyranni
Effera? DI capiti ipsius, generique reseruent.

Sic illud, *Pereat dies in qua natus sum,* Iob 3.

ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus deſuper,&c.

Epiphonema fit, cùm re iam narrata & approbata, illi ſententia aliqua, quæ ſummam rei totius comprehendat, acclamamus. Vt Virgilius lib. 4. Georg. poſtquam apum induſtriam, & in melle conficiendo laborem expoſuit, addidit.

Tantus amor florum, & generandi
copia mellis.

Cant. 7. Et illud, *Poſtquam ſponſæ pulchritudo deſcripta erat. Quàm pulchra eſt, & quàm decora chariſſima in delitiis.*

Exclamatio, quæ aliquem exprimit affectum per rei cuiuſpiam compellationem, quæ his perſæpe declaratur particulis, ô heu, prô, & ſimilibus. Sic Horatius lib. 2. Ode 14.

Eheu, fugaces, Poſtume, Poſtume,

Labuntur anni. nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.

Et illa, *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Thre. 1.

ADMIRATIO stuporem & animi affectum re aliqua concitatum exprimit, non dissimilis Epiphonemati, quamuis illud semper rei comprobatæ iam, & expositæ acclamatio sit, hæc verò vbicumque locum habet. Sic Horatius lib. 1. Ode 24.

Quis desiderio sit pudor, aut modus,
Tam cari capitis? præcipe lugubreis
Cantus, Melpomene: cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quinctilium perpetuus sopor
Urget?

Thre. 4. Sic illud, *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.*

ADHORTATIO, qua orator grauiter, & vehementer incitat auditores, impellítque ad aliquid faciendum. Sic Virg. lib. 9. Æneid.

Ferte citi ferrum, date tela: scandite muros.

Isai. 1. Sic illud, *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite bene facere: quærite iudicium, subuenite oppresso.*

ADIVRATIO, cùm per rei cuiuspiam attestationem aliquid ab auditoribus contendimus. Vt Cicero pro Deiotaro, *Per dexteram te istam oro, quam hospes hospiti porrexisti.* Et Cant. 2. illa, *Adiuro vos filiæ Sion per capras ceruósque camporum, ut ne*

susci

suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam.

INTERRVPTIO est breuis declinatio à proposito, vt maior vis addatur iis, quæ dicuntur: parenthesis dici solet, si breuior sit, si longior, digressio. Vt Virg. Eclog. 9.

Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes sublime ferent ad sydera cycni.

Sic illud, *Sicut scitis, qualiter vnumquemque vestrûm (sicut pater filios suos) deprecantes vos, & consolantes,* &c. 2. Th. 1.

CAPVT XVIII.

De FIGVRIS, *quæ ex locis topicis dimanant.*

NONNVLLI, nec immeritò, argumentorum locos ad ſententiarum lumina retulerunt, quoties non probandæ cauſa, ſed exornandæ orationis gratia aſſumitur. Prima eſt,

DEFINITIO, præcipuè deſcriptiua, de qua inter amplificationes, & in Antonomaſia diximus; quoties res ornatus gratia definitur, vt, *Ira furor breuis eſt.* Et illud, *Quem perſequeris, Rex*
1. Reg. 24. *Iſraël? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum.*

A partium diſtributione emanet DIVISIO quæ non perſpicuitatem modò, ſed ornatum etiam affert orationi: ibi probationis cauſa, hîc ſplendoris gra-

tia

tia desumitur. Vt illud Ouid. Ep. 1.

Iamque aliquis positâ monstrat
fera prælia mensâ,
Pingit & exiguo Pergama to-
ta mero.
Hac ibat Simoïs, hîc est Sigeia
tellus,
Hîc steterat Priami regia cel-
sa senis.
Illic Æacides, illic tendebat
Vlysses,
Hîc alacer missos terruit He-
ctor equos.

Sic illud, *Tres species odiuit anima mea; paup.rem superbum; diuitem mendacem; senem fatuum & insensatum.* Eccli. 25.

DISTRIBVTIO procedit ex eodem loco, quæ inter ornamenta sententiarum ab omnibus numeratur, cùm aliquid in plures partes distribuitur, quarum vnicuique ratio sua subiungitur. Vt Cicero in Catilinam, *Is es Catilina, vt te nec pudor à turpitudine,*

nec metus à periculo, nec ratio à furore reuocarit. Et illa, *Solicitudine*
Rom. 12. *non pigri: spiritu feruentes: Domino seruientes; spe gaudentes; in tribulatione patientes, orationi instantes.*

Ex argumento à genere & forma sumitur species illa *Synecdoches*, qua genus pro forma, & forma pro genere capitur; & *Antonomasia*, in qua quod pluribus conuenit, vni tribuitur propter excellentiam, de quibus suprà.

SIMILITUDO, quæ ex argumento à simili sumitur, illustrat maximè orationem, cùm rei exornandæ causa affertur; tunc enim nihil probat, sed rem ante oculos ornatè repræsentat, quod passim à Poetis fieri conspicitur. Vt Virg. lib. 12. Æneid. de Turno loquens,

Attollitque animos Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum

vulnere pectus,
Tum demum mouet arma leo: gaudétque comantes
Excutiens ceruice toros, fixúmque latronis,
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.

Et illa, *Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?* Iob 10.

Imago refertur ad hunc locum, quæ à Similitudine tantùm differt, quòd illa breuior est, hæc longior, nec multum dissimilis Hypotyposi: differt tamen ab illa, quòd omnis imago est Hypotyposis, non tamen omnis Hypotyposis est Imago. Hypotyposis enim res ipsas describit vt geruntur, at verò Imago res sub aliqua similitudine depingit. Vt est illa Ciceronis, qua Verrem

ſub belluæ è cauea emiſſæ imagine depingit, vt ſuprà in Hypotypoſi. Sic impius ſub timidi
Iob 15. militis forma deſcribitur. *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius: ſonitus terroris ſemper in auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur; non credit quòd reuerti poſſit de tenebris ad lucem, circumſpectans vndique gladium. Cùm ſe mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus ſit in manu eius tenebrarum dies. Terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum,* &c.

Ex loco ab oppoſitis exit contrapoſitum, cohabitatio, & commutatio.

Per adiuncta fiunt hypotypoſes, & Ethopœiæ.

Per cauſas & effecta permiſſiones, conceſſiones, ironiæ, exhortationes, dehortationes & aliæ.

A com

A comparatis exit exemplum, quod rem ornatiorem facit, cùm nullius rei, nisi dignitatis causâ sumitur. Sic Ouidius de discessu suo loquens 1. Trist. Eleg. 3.

Quocunque aspiceres, luctus, gemitúsque sonabant:
Formaque non taciti funeris intus erat.
Femina, virque meo pueri quoque funere mœrent:
Inque domo lacrymas angulus omnis habet.
Si licet exemplis in paruis grandibus vti:
Hac facies Troiæ, cùm caperetur, erat.

Sic illud, *Vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, &* 1. Mach. 2.
accensus & furor eius secundùm iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.

CAPVT XIX.

De FIGVRIS *quæ ex variis affectibus dimanant.*

INTER figuras ſententiarum numerantur omnes illi dicendi modi, ſeu figuræ, in quibus à communi forma dicendi ita diſcedimus, vt, cùm poſſemus aliter dicere, tamen ex arte recipiat oratio noſtra diuerſum quaſi habitum, remotúmque ab vſitato & ordinario. Tótque efficiet orator figuras, quot ipſe induerit affectus, eíſque vocem & actionem accommodarit, vt cùm obſecrat, indignatur, obiurgat, miratur, optat, &c. Præter plures ex ſupradictis figuras, quæ ex iis affectibus oriuntur, vt adhortatio, admiratio, obſecratio, execratio & aliæ, frequentes ſunt ſacris oratoribus, grauiores ſæpe affectus commouentibus,

DEHORTATIO, cùm auditores orator dehortatur, & auertit ab re aliqua. *Nolite fieri sicut equus & mulus.* Psal. 31.

COMMINATIO, cùm minas alicuius mali intentat. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi*, quod sępius eodem capite à Domino repetitur. Mat. 23.

EXVLTATIO, qua lætitiam animo conceptam significamus. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Exod. 15.

COMMISERATIO, quæ tristitiam & animi moerorem exprimit. *Absalom fili mi, fili mi Absalom: quis mihi tribuat vt ego moriar pro te.* 2. Reg 18.

EXPOSTVLATIO, cùm contendimus cum aliquo indignationem animi ostendentes. *Vsquequo Domine, clamabo, & non exaudies?* Hab. 1.

OBIVRGATIO, cùm alios reprehẽdimus. *Haccine reddis Do-* Deut. 32.

mino popule stulte & insipiens?

Sic admiramur, promittimus, gratias agimus, indignamur, atque alios huiusmodi affectus ostendimus, vnde fit, vt alij plures, alij pauciores enumerent sententiarum figuras, atque etiam verborum, nos eas tantùm adduximus, in quibus scriptorum plurimi conueniunt.

Omnium non idem, nec multiplex, nec affectatus debet esse vsus, sed illæ frequentiores erunt, quæ minus artificij habere, plus ad rerum naturam, causæ, temporis, ac loci opportunitatem accedere videntur, cuiusmodi sunt omnes, quas varij concitant affectus, & quibus naturâ ipsa duce vtuntur, qui nunquam artem didicerunt. Atque hæc de orationis ornatu.

CAPVT XX.

De quarta orationis virtute, nempe CONGRVITATE.

EGIMVS de proprietate, perſpicuitate, & ornatu orationis; nunc quarta eius virtus, nempe CONGRVITAS excutienda nobis eſt, quæ eſt modulata quædam, & concinna verborum, ſententiarúmque ſtructura, quæ in ordine, iunctura, & numero conſiſtit, de quibus ſingulis agemus.

Ordinis obſeruatio eſt in verbis ſingulis, & in coniunctis. In ſingulis, vt forti fortius addatur, ſi creſcit oratio; infirmius infirmo, ſi decreſcit. Vt Cicero in Verrem, *Non furem, ſed raptorem, non raptorem, ſed ſacrilegum, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum.* Sic illud, *Prædica verbum, inſta* 2. Tim. 4.

opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa.

In verbis contextis idem ſeruandus eſt ordo, vt ſententiæ ſemper augeantur, ſi creſcit oratio, & econtrario, ſi decreſcit. Vt Cicero in Verrem, *Facinus eſt vincire ciuem, ſcelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?* Sic illud, *Collegit furorem ſuum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus ſuis; hoſtis meus terribilibus oculis me intuitus eſt.*

Iob 16.

Ordo etiam ſeruetur naturalis, vt dies ac noctes, viros ac fœminas, Solem & Lunam.

Iunctura, & concinnitas in oratione eſt, quando verba in verbis copulantur, vt oratio nec aſpera ſit, nec hiulca. Aſperam faciunt orationem conſonantes aſperiores, ſi frequentantur: illæ ſunt Z, X, R, T. Vt exercitus regis Artaxerxis. qua in re videtur

pecca

peccasse Ouidius, sed de industria, cùm dixerit lib. 1. de arte amandi,

Arte citæ, velóque rates, remóque reguntur.

Hiulcam faciunt orationem plurium vocalium, earum præcipuè, quæ pleniores sunt, & quodammodo vocaliores, cócursus. Vt Cicero, *Ego omni officio, ac potiùs pietate*, & alibi, *viro optimo obtemperare.*

Vasta item fit oratio, si verbi prioris vltimæ syllabæ sint primæ sequentis. Vt, *res inuisa, visa sunt*; *sibila lambebant.* Monosyllaba malè continuantur, si multa sunt, vt, *hac in re rex, non est dux.* Breuia verba velocem reddunt orationem, longa tardiorem, se causæ accommodabit orator. Sic Virgilius pluribus vsus est spondæis cùm Regis loquentis grauitatem describit, lib. 12.

Olli sedato respõdet corde Latinus.

Pluribus dactylis cùm equorum animositatem depingit lib. 8.

Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.

Numerus est modulata orationis compositio, quæ in incisis, membris, & periodis spectatur. Incisum, seu comma est orationis pars nondum quicquam absolutè significans, sed nomina & verba aliqua differentia distinguens. Vt Cicero contra Catilinam, *Egredere ex vrbe Catilina, patent portæ, proficiscere, confer te ad Manliana castra, concita perditos ciues,* &c. Sic illud, *Tradit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos,* &c.

Rom. 1.

Membrum, siue colon est ora-

tionis

tionis pars, absolutam aliquo modo complectens sententiam, sed aliô tamen relatam. Vt Cicero pro lege Manilia, *Testis est Italia, quam ille ipse victor Lucius Sylla huius virtute & consilio confessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis vndique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilij explicauit. Testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundauit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania, quæ sæpissimè plurimos hostes ab hoc superatos, prostratósque conspexit. Testis est iterum & sæpius Italia, quæ cùm seruili bello, tetro, periculosóque premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit.* Sic illud, *Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis, non mœchandum, mœcharis;* Rom. 2.

qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis, Deum inhonoras.

Periodus est perfecta & absoluta sententia. Fit ex vno membro, si id longiùs excedat, & dicitur, monocolos, fit ex duobus, dicolos, ex tribus tricolos, ex quatuor tetracolos, vltrà procedere vitiosum est, nisi membra sint breuissima. Vt Cicero pro lege Manilia, *Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt.* Sic illud,

Heb. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; nouissimè diebus istis locutus est*

nobis

nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum: per quem fecit & ſæcula: qui cùm ſit ſpendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.

Inciſa commate, ſeu virgula diſtinguuntur membra duobus punctis, periodus vno, interrogatio ſua nota, admiratio & epiphorema virgula ſuper punctum poſita. Erit autem perfecta, & abſoluta periodus, quæ numerum ſeruet. Hic autem numerus eſt duplex, naturalis & artificialis. naturalis eſt poſitus in aurium iudicio, hic euitat aſperitatem conſonantium, hiatúmque vocalium, ſentit quæ plena ſunt, & parum expleta deſiderat; ſuúmque habet vnumquodque idio-

ma numerum, suam naturalem modulationem, & propriam pronunciationem, quam, licèt peregrina nobis sit, oportet obseruare, illámque ex iis discere, qui maximè excellunt. Artificialem numerum inuenit ipsa obseruatio naturalis, & ex iis, quæ auribus arridere animaduertit, præcepta desumpsit. Sua erunt vniuscuiusque linguæ propria, sed si oratorem Latinum instituimus, dicamus artificialem numerum constare ex pedibus poeticis. Hoc tamen discrimen inter numerum poeticum & oratorium versatur, nam ille suarum legum est obseruantissimus; hic verò liberior est & solutior, imò, quantum potest, à poematis similitudine refugit, sícque facile pedem vnum pro alio ponit, vt pro dactylo anapæstum, vel creticum.

Initia, & media periodi paulo

negligentiùs ſunt inſtituenda, ita tamen, vt ab aurium iudicio non diſcrepent; quod fiet, ſi quæ dicta ſunt de ordine, iunctura, & numero, periodíque ratione, exactè ſeruentur.

Extrema periodi, quoniam in eis aures conquieſcunt, & orationis voluptate capiuntur, accuratiorem poſtulant diligentiam: quæ in ſex vel ſeptem vltimis ſyllabis ſeruanda eſt, vt, ſuſceptæ prohibuerunt, nomen hæreditauít. Quæ qui ſigillatim ſcire velit, hoc animaduertat. Dichoreus pulcherrimè cadit, maximè præcedente cretico, dactylo, iambo, vel ſpondæo, vt, ab interitu vindicaſti, ſolatia ſeruitutis, virum cum viro comparetis, ſedes collocaſſe. Creticus & ſpondæus claudunt optimè periodum, vt, depellendi criminis cauſa. Dichoreus etiam & ſpondæus, timendum fuiſſe cenſetis.

Dactylus & molossus, esse videbatur. Creticus solus, vel duplex cogitans, sentio. Tribrachus cum spondæo, fortasse videatur. Duo vel tres spondæi, maximè si iambus præcedat, me consulem declarauit.

Hæc tamen omnia, quæ de quarta hac virtute orationis dicta sunt, ita seruentur ne operosa fiant, nam esset tum infinitus, tum puerilis labor. Imò aliquando optimi oratores, vt inartificiosam eloquentiam ostendant & negligentem quandam diligentiam, hac in re de industria peccant, vt ille, qui pompam Pompeianam dixit. Nec tamen omnibus in locis numerosa oratio requirenda est, sed variæ causæ varium dicendi genus postulant, & diuersæ orationis partes diuersam quoque orationis formam efflagitant, vt subsequenti capite dicemus.

CAPVT XXI.

De TRIBVS *dicendi* GENERIBVS.

NON ſemper eodem curſu & tenore præterfluit oratio, ſed nunc grandior, & velut inflatior, nunc etiam preſſior, & humilior. Hinc fit, vt ex grauiſſimorum authorum ſententia, tria conſtituantur dicendi genera. Vnum ſubmiſſum, quod humile etiam, acutum, tenue, & ſubtile appellatur. Alterum huic contrarium, quod grande, vehemens, graue, & copioſum dicitur. Tertium medium, quod ſuaue, temperatum, mediocre vocatur.

In genere ſubmiſſo, quod ſcribendis familiaribus epiſtolis, mutuis amicorum colloquiis, diſputationibúſque conuenit,

forma debet esse orationis libera, & soluta vinculis numerorum. Diligentia conglutinandi verba prætermittenda est, & omnis insignis ornatus remouendus; ponentur tamen crebræ accurataque sententiæ, ornamenta verborum, & sententiarum parce adhibebuntur.

Generi temperato, quod ad docendum, ad narrandas, scribendásque historias pertinet, omnia dicendi ornamenta conueniunt, in idem cadunt lumina omnia, & verborum & sententiarum, ea præcipuè quæ minus habent roboris, plus suauitatis.

Genus graue, quod ad maiores causas, & vehementiores conciones pertinet, omnem vim postulat orationis, fortiores figuras, emphases, exclamationes, prosopopœias, amarulentas permissiones, & reliquas huiusmo-

di

di: hîc amplificationes adhibendæ, hîc ſunt omnes affectus excitandi.

Prætetea cùm tria ſint officia oratoris, mouere, docere, & delectare: humile dicendi genus ad docendum, ad delectandum temperatum, ad mouendum vehemens accommodabitur. In variis etiam cauſis varia eſſe debet dicendi ratio: in paruis humilis, in modicis media, in grauibus copioſa. Sed eadem oratio mutat ſtylum, in confirmando humilem, in narrando temperatum, in mouendo requirit grauem; ſummæque eloquentiæ eſt ſuo quæque in loco adhibere.

Qui igitur parat concionem, reputet ſecum, qua in parte debeat vti genere demiſſo, vbi moderato, vbi ſublimi. Fugiat tamen in quouis genere vitia proxima, in ſubmiſſo, ne humi repat, exiliſque & ieiuna dictio

ſit.

ſit in temperato, ne luxu nimio laſciuiat, & pigmentis inanibus eneruetur; vel econtrario, genus orationis ſit diſſolutum, ſine ſtructura vagum & fluctuans: in ſublimi, ne efferatur in turgidum, inflatum, & affectatum. Aduertat etiam non diu poſſe auditores ferre, ſi longa texatur oratio vehemẽtioribus affectibus; quapropter recurrendum eſt ad moderatum dicendi genus, vt rurſus ad grande redeatur, & varietate dicendi non ſolùm delectetur, ſed etiam trahatur auditorum animus, ad id quod ſuadet oratio.

PARS



PARS V.

De MEMORIA.

CAPVT I.

Quid sit MEMORIA, *& quotuplex.*

MEMORIA, quæ quarta Rhetoricæ pars constituitur, est firma orationis perceptio, sine qua muta, vel mortua ea videtur eloquutio, quam in ſcriptis legimus authorum, ea quodammodo animatur, cùm ex memoria theſauro rerum omnium deprompta, pronunciatur.

Memoria autem tam est ſacro oratori, & cuiuis literarum ſtudioſo neceſſaria, vt certum illud

esse videatur, nos tantum scire quantum memoriæ mandamus.

Est autem Memoria, vis quædam,& potentia à natura tributa, qua res comprehenduntur ac retinentur; & tanquam ancilla voluntatis & intellectus, quid illi amandum, quid huic credendum proponit. Sed id distinctiùs explicemus ex Alberti Magni sententia, qui triplicem memoriam constituit. Vnam vocat conseruatricem rerum sensui obiectarum, quæ deseruit ratiocinatiuæ:altera inest superiori parti rationis, & appellatur retentio,vel essentialis conseruatio similitudinis omnium rerum: tertia est conseruatrix specierum intelligibilium,quæ rationi subest,& hæc communiter Memoria appellatur, quam felicissimam aliquos habuisse antiquitas celebrat. Vt Mithridatem Regem Ponti,qui duas & vigin-

ti linguas, tot enim nationibus imperabat, aſſecutus fuerat. Cyrum item Perſarum Regem, qui omnibus in exercitu ſuo numeroſiſſimo militibus nomina reddebat. Hæc memoria poſteriori parti cerebri inhæret. Inde fit vt in ea parte acceptum vulnus plurimum memoriæ noceat, & in occipite tumor felicis memoriæ ſignum eſſe dicatur. Qui celeriter apprehendunt, plerumque non admodum memoriâ valent; tardi autem diutius recordantur, vt imagines blandæ ceræ ſigillo imprimuntur facile, facile etiam delentur; ſed duriori materia impreſſæ difficiliùs abolentur, & conſeruantur diutius. Iam quòd diuturna memoria in multis ſimus, in aliis verò fluxa, & labili, bifariam fit, primùm vehementi impreſſione, cùm notio ipſa multo vehementíque ſpiritu à phantaſia in me-

moriam defertur: vnde manet alta mente repoſtum, quod ingentem nobis dolorem, timorem, vel lætitiam attulit, deinde aliquid ſit diuturnum crebra repetitione.

Memoria igitur eſt duplex, naturalis vna, artificialis altera; de illa adiuuanda, de hac comparanda dicendum nobis eſt.

CAPVT II.

De MEMORIA NATVRALI *adiuuanda.*

MEMORIÆ excolendæ & adiuuandæ ſubſidia, alia labor & induſtria pariet, alia natura concedet.

Primùm illud ſit, vt quæ mandaturus es memoriæ rectè intelligas; memoria enim retinet & conſeruat, quæ intellectus percipit, & inde fit vt difficilè reti-

neri possint, quæ non bene intellecta, & percepta sint.

Secundò, faciliùs lecta, quàm audita discimus, & scripta quàm lecta, & nostra quàm alieno labore composita, & à nobis exarata, quàm ab aliis conscripta, vel typis excusa; quod enim manuscribitur, quasi memoriæ imprimitur, qua de causa etiã ipsa, quæ ex libris ediscenda sunt, satiùs ac meliùs esset transcribere, & ex chartis ediscere. Disce ex iis, quæ primùm scripseris, exẽplaribus, nõ ex iis, quę emendatiùs, & nitidiùs scripseris; illa enim, quæ in primo exemplari delentur, interpunguntur, malè scribuntur, & adduntur, memoriæ fauent.

Tertiò, iis, quæ dicturus es methodum aliquam & ordinẽ, numerúmque præscribe: nam cùm methodus, ordo, & numerus tollat confusionem, mirum in modum iuuat confirmátque me-

mo

moriam.

Quartò, poteris totã orationi & concionem in partes aliquo diuidere, adnotatas ad marginẽ vel notis arithmeticis, vel alphabeticis literis, vel quouis alio signo, dummodo illud notissimum sit, &, si fieri potest, proportionem habeat aliquam, cum iis quę annotantur. Noui ego quendam, qui totam concionem inter Sanctos, quos præcipua religione colebat, partiebatur, adscribénsque margini eorum nomina, singula singulis commendabat, quampiam industriam tum ad pietatem, tum ad memoriam valere maximè expertus est.

Quintò, si quis locus, aut sententia aliqua difficiliùs memoriæ hæreat, vel ne elabatur, times, adiice speciale aliquod signum præ cæteris. Hæc de iis, quæ ediscenda sunt; dicamus nunc de tempore, loco, modo, personáque

que diſcentis.

Sextò, tempus maximè memoriæ aptum eſt matutinum, cùm & cibus decoctus eſt, corporis etiam habitus ad obſequendum animo magis accommodatus, liberior curis animus, & recens viribus.

Septimò, ſub ſomnum aliquid ediſcere, & ſæpius attentiùs legere, matutino tempore repetendum, non erit inutile: maturantur enim & quaſi cócoquuntur ipſo ſomno nuper memoriæ ingeſta, & illa quæ ſunt recenter facilèque impreſſa, effluunt facile. Non tamen probarim, vt à cœna labores in diſcendo memoriter, tempore deſtinato quieti; importunus eſt enim labor, importuna vigilia, quæ ſi longa eſt, plurimum obeſt memoriæ, quam non minus lædunt nimis breuis ſomnus, quàm multus cibus & potus. Quòd ſi no-

ĉte etiam præcedente concionem vigiles, poſtridie neque animi, neque corporis vires ad agendum, dicendúmque cum alacritate, vi, ac robore, quibus opus eſt, ſuppetent.

Octauò, locum elige ſolitarium ab omni ſtrepitu liberum, & quem impedire non poſſint, nec quæ audiuntur, nec quæ videntur.

Nonò, circa modum annotanda ſunt aliqua. Quintilianus admonet, vbi longior eſt oratio, vt ſuperiùs attigimus, ediſcendam per partes, quæ tamen non ſint perexiguæ, nec nimis multæ, quia multitudo mentem obruit.

Decimò, non tacitè diſcendum eſt, ſed voce ſubmiſſa quaſi murmure; vel clara etiam & perſpicua, non tamen nimis elata & contentioſa: nam vt illa immurmuratio expreſſióque verborum

altiùs

altiùs menti res infigit, ſic clamor & contentio quodammodo perturbat, & impedit memoriam. Nec probo, vt eodem die, ante concionem clara voce declames ſolus, ne accedas ad ſuggeſtum iam laſſus, & exhauſto priuatim affectu, frigidior in publico ſis.

Vndecimò, pueris ad verbum ediſcendum eſt, & iis etiam, qui alieno idiomate loquuntur, niſi id quàm optimè compararent. Nam ſi ita verbis addictus es, tanquam ex ſcripto pronuncies, poſſet ea cura inter dicendum anxium & titubantem reddere, quod turpe eſt, nec quæ memoriter pronunciantur, poſſunt cum ea vi proferri, qua opus eſt, vt omittam alia plurima, quæ ex hac nimia ſeruitute naſcuntur incommoda. Rerum igitur vim, ordinémque bene complectatur, nec verbis ſe vllo modo alliget,

si fortis ac liber velit esse in di-
cendo. Quapropter si eas etiam
quas citat, & affert sanctorum
Patrum sententias, & sacræ pa-
ginæ testimonia non ita fida me-
moria teneat, vt possit sine vll
hæsitatione, &, quod in primi
obseruandum est, fidelissimè a
verbum pronunciare, satiùs esse
patria lingua illarum sensu
reddere fideliter, quàm in re
dendis ad verbum turpiter hær
re. Bene præmeditatus ad co
cionem accedat, nihil enim
memoriam dicentis turb
actionémque impedit, quà
quæ dicturus est non bene
cum decoxisse, satiúsque esset
conuenientius repentè, aliàs q
conceperit, eructare, quàm n
bene concepta parturire.

Duodecimò, ipsa exercita
quotidiana memoriæ est præ
pua maximáque ars ad eam
mandam & augendam, quæ

colendo, ſicut alia omnia, augetur. Sed non debet memoria longo & continuo diſcendi tempore fatigari, quod plurimum capiti nocet, ſed aliquod interponendum eſt tempus, quo recreetur.

Decimotertiò, frequenter etiam verſare, & repetere ſæpius neceſſe eſt quod recordari velis, quia conſuetudo eſt altera natura, &, vt Ariſtoteles *lib. de Memoria, & reminiſcentia* ait, memoria eſt poſitio ſub ordine, & frequens meditatio per reminiſcentiam.

Decimoquartò, quoad perſonam diſcentis illud præcipiendum in primis eſt, vt animus ſit à curis liber, vacuus ab occupationibus, liber à perturbationibus, & à vehementi quacumque affectione, odij præcipuè; ſed maximè, & præ cæteris, libidinis, & voluptatis.

Decimoquintò, præter hæc, qua dicta sunt, alia concessit memoriæ adiuuandæ præsidia natura. Ea sunt corporis valetudo, & optima constitutio, à crapula, & luxuria, temperantia, cerebri cu stodia, somnus non breuis, isqu susceptus corpore non in do sum, sed in latus dextrum e porrecto; victus salubris & ten peratus: cibi crassiores, vt caseu lac, olera, legumina, & vinu lædunt memoriam. Cœnandu parciùs, & inter somnum & co nam vel sesqui horæ interuallu sit: septem ad summum octo h ras dormire vel pueris satis e longior somnus, & memoriæ saluti officit; illo spatio, quo b uior fuerit, plus vitæ addet qua nihil est carius homini, p cipuè literarum amatori, & dioso, de qua tanto minus de rit, quanto plus somno detra tur. Salutis & virium habe

est ratio; suas quisque consulat; sciat tamen posse pedetentim, sensimque aliquid temporis detrahendo, sine salutis dispendio, ad paucas horas dormiendi tempus contrahere.

Decimosextò, felicissimam facit memoriam æqua, & optima humorum & primarum qualitatum temperatio, siccitatis, frigiditatis, humiditatis, & caloris; qui eam partem cerebri, in qua situs est memoriæ, humidam, & calidam habuerint, vt plerumque pueri, facile percipiunt, sed citò etiam obliuiscuntur; si præualet siccitas, retinent diutius, licèt tardiùs ediscant. Qui humidi & frigidi sunt, vt senes, non multum valent memoria, illi autem vel nullam, vel exiguam, qui frigidum, & siccum occiput habuerint. Atque hac de causa, si frigida qualitas memoriam infestat, adiuuatur nuce myristica, ros-

marini flore, amaraco, melissophyllo, cassia, cynamomo, ac zinzibere viridi melle condito, ac reliquis omnibus vel medicinis, vel cibis, qui calidioris sint naturæ: sæpius etiam eam capitis partem, quæ maximè frigore afficitur, perfricare manibus vel panno, vel linteo asperiore: si memoriam siccitas peruertat, quæ plerumque etiam somnum corpori, & sanitatem menti adimit, cōferunt cortices citri conditi, glycyrrhiza, nymphæa, buglossa, vuæ passæ, exemptis præsertim vinaceis, mel, saccarum, butyrum, oua recentia. Vtile est interdum pedes abluere decocto foliorum lauri, & flos-marini. Aliquando eadem tepenti aqua caput intingere ante somnum: coriandri item grana saccaro induta sumpta post cœnam: fel perditis arteriis illitum iuuat memoriam: corda pullo-

rum columbarum in testa combusta, redacta in puluerem, vino epota memoriam stabiliunt. Hęc autem & reliqua huiusmodi ex pręceptis potius medicinę quàm Rhetoricæ, ex pharmacopolarum, quàm oratorum officina depromenda sunt, & tutius, & facilius, & efficacius est memoriam industria quàm medicina adiuuare.

CAPVT III.

De MEMORIA ARTIFICIALI.

EA altiùs, & diutiùs memoriæ inhærent, quæ oculis, quàm quæ auribus percipiuntur: vt sapienter dixit Horatius in arte poetica,

Segnius irritant animos demissa
per aurem,

Quam quæ sunt oculis subiecta
fidelibus, &c.

Vnde Memoria artificialis eó spectat, vt res non videatur audire, sed videre. Atque hac de causa memoria artificialis locis constat & imaginibus. Loca sunt pro charta, imagines pro literis. De locis hæc erunt annotanda.

Primò, vt communis aliquis locus eligatur, cuique notissimus, amplus, speciosus, partium varietate conspicuus, qualis esse solet vel templum, vel cœnobij alicuius, vel palatij peristylium.

Secundò, huius communis loci partes; & loca singula debent esse maximè nota, & insignia, & aliqua ratione diuersa: vt sunt fenestræ, portæ, columnæ, anguli, & cætera quæ inter se maximè distinguantur: nam quæ vniformia sunt, & similia, vt plures eiusdem rationis ianuæ, fenestræ & columnæ, memoriam potius

pertur

perturbant, quàm adiuuant.

Tertiò, hæc loca ſint aliquâ diſtantiâ inter ſe diſiuncta, nam nimis coniuncta memoriam confundunt, longiùs diſtantia diſtrahunt, minimum quinque aut ſex pedes diſtent: ita ſint oculis obiecta, vt veluti manibus tangi poſſint, nec in terra iaceant, nec ſint ab illa nimis eleuata.

Quartò, hæc loca ſint ab hominum frequentia, ſi fieri poteſt, ſeparata, non obſcura, ſed nec nultum illuſtrata Solis ſplendore.

Quintò, locus, in quo hæc loca notantur, ſæpius repetendus, frequentandus, luſtrandus mentis oculis, vel etiam corporis, vt quæ in eo priuata notantur loca altiùs in memoria hæreant. hæc eo plura ſunt notanda, quo plura ſunt ediſcēda: ſunt qui ducenta, & quadringenta, vel mille, vel eo plura eligenda eſſe di-

căt, nec id esse difficile. Nec multum interest, vtrùm in eis assignandis à dextra, vel à sinistra incipias, dummodo constans in assignata ratione perseueres, nec ordinem perturbes. **Hæc de locis**; quæ sequuntur de imaginibus obserua.

Primò, imagines sunt rerum, vel etiam verborum, quæ meminisse volumus, similitudines in assignatis locis collocandæ. Rerum similitudo facilis, cùm simplex quoddam signum rem totam possit repræsentare, vt anchora nauigationem, gladius bellum, aratrum agriculturam. Verborum imago difficilior est. Ea autem est cuiusque imaginis functio, & huius totius artis vis, vt memoriam excitet naturalem; quare illæ inueniendæ sunt imagines, quæ id maximè præstent.

Secundò, imagines sint rebus,

quarum ſunt notæ, maximè ſimiles, quæque illas ad viuum repræſentent.

Tertiò, ſint ſtabiles & fixæ, ſed acres, & viuæ, & energiam habentes ad aſpectum commouendum, quo maximè excitatur memoria. Mouent autem res nouæ, admirabiles, inſigniter pulchræ, vel deformes.

Quartò, perſonæ deſignantur per earum attributiones, ætates, habitus, vt Rex ſceptro, literatus libro, miles gladio, & artifices per eorum inſtrumenta.

Quintò, perſonarum affectus, vt amor, lætitia, iracundia, & ſimiles, vel per perſonas, quæ iis permotionibus affici ſolent, vel per conſtitutionem imaginum eos affectus exprimentium. Ad quod proderit humani corporis partium ſignificationes memoria tenere: nam caput erectum ſuperbiam denotat, ſummiſſum

triſtitiam, dimiſſi oculi pudorem, ſuſpicientes reuerentiam, torui & ardentes iracundiam, elatus naſus irriſionem, auris memoriam, pectus nudum ſinceritatem, coopertum fallaciam, cor amorem, fel iram, manus pendentes dolorem, vel deſperationem, manus coniunctæ ſurſum deprecationem, eleuatæ parum & ſeparatæ admirationem, apertæ & extenſæ liberalitatem, contractæ & compreſsæ auaritiam, dextra in altum eleuata comminationem, & tunc in pugnum complicata fortitudinem, humeri patientiam, index ori admotus ſilentium, lingua locutionem. Affectus etiam humani per animalia aliqua ſignificantur, ira per leonem, per columbam ſimplicitas, per ſerpentem prudentia, per canem ſagacitas, per hircum, vel ſuē luxuria, per agnū innocentia.

Sextò,

Sextò, effectus & operationes personarum, per earum gestus, vt si spoliare, scribere, interficere, significare velis, personarum imagines constitues spoliantes, scribentes, interficientes.

Septimò, facta & euenta, vt bellum, naufragium, triumphum, per eorum imagines.

Octauò, res omnes repræsentantur facile per earum effectus, proprietates, & figuras: vt cæli, Sol, Luna, elementa, & aliæ; similiter per earum subiecta, vt albedo per niuem, vel cygnum, calor per ignem, dulcedo per mel, & sic de aliis: aut per eorum contraria, vt lucem per tenebras, mortem per vitam, quoniam contrariorum eadem est disciplina; vel etiam per relata, vt dare, & accipere, magistrum, & discipulum, quorum vnum non est sine altero.

Nonò, in vno loco non sunt

plures

plures imagines collocandæ, nisi illæ ad vnam actionem spectent, & tunc quo pauciores rem possint referre collocentur. Si res gesta plures actus habuerit, eorum imagines in plura loca distincta distribuantur.

Decimò, eorum quæ diuturna memoria retinere velit, imagines sunt per sua loca sæpius mentis oculis respiciendæ: eorum verò, quæ in hunc vel illum vsum ediscuntur; post illum, vel non repetitæ euanescent, vel mentis quasi manibus disturbentur, vt vacua aliis imaginibus loca relinquant.

Vndecimò, verborum vocúmque imagines acriori industria, & maiori prudentia inueniendæ sunt. Exempla in Alphabeto Hebraico collocemus, modósque aliquos assignabimus.

Primò, verbum ipsum, & vocem ad imaginem aliquam per-

sonæ,

ſonæ, vel rei, quæ vocem aliquo modo repræſentet, transferam, illámque pro voce, cuius meminiſſe volo, collocabo. Vt ſi velim recordari literæ *Aleph*, ponam imaginem aut hominis Alphonſi nomine, vel Elephantis animalis, vel herbæ, quæ apud nos *Alphalpha* dicitur, harum enim imaginum nomina quandam videntur habere ſimilitudinem cum Aleph.

Secundò, vocem ipſam mihi minus notam, per aliam mihi notiorem repræſentabo. Vt ſi meminiſſe velim ſecundæ literæ Alphabeti *Beth*, fingam balantem ouem, & inclamentem, *Be.* ſic Aleph per Alleluia.

Tertiò, per aliquam imaginis effictæ actionem: meminero literæ *Dalet*, ſi fingam hominem alteri vt percutiat imperantem, voce Hiſpana *Dale*, id eſt, percute. In eo enim tota hæc res conſi-

ſtit,

ſtit, vt quæ audiuntur, ad aſpectum transferantur. Et quæ minus nota ſunt notioribus percipiantur. Vt cuidam contigit, qui cùm in re pecuniaria eſſet ſolertiſsimus, in Chriſtiana tam erat hebes, vt orationem Dominicam illam ſępius aggreſſus numquam didiciſſet, donec à prudenti viro edoctus eſt ita. Puta debere tibi centum nummos *Pater noſter*, totidem *qui es in cœlis*, ducentos *ſanctificetur*, totidem *nomen tuum*. Dic mihi, quínam tibi ſunt debitores. Reſpondit, Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.

Præterea ſi meminiſſe velit orator alicuius ſententiæ vel dicti, fingat illud authorem pronũciantem, exempli gratia Iſaiam cælum conteſtantem, ſi dicturus eſt, *Audite cæli, quæ loquor*, &c.

Si plures voces inter ſe compoſitas, quę ſenſum efficiant, ve-

li

lit tenere, ex earum initialibus literis vocem ſibi compingat, vt ſingulæ literæ ſuam vocem in memoria referant. Vt, *Momentaneum & leue tribulationis æternum gloriæ pondus operatur.* Ex his octo dictionibus, octo aſſumens literas, vocem efficiam, *Meltægpo.*

Huiuſmodi enim literarum combinatio adiecta aliquando vocali proxima ad coniungendas conſonantes, multum prodeſt memoriæ, vt ſi velim vtriuſque ſacræ paginæ tam veteris quàm nouæ libros, qui in legales, hiſtoriales, ſapientiales, & prophetales diuiduntur, memoriâ tenere, reuocabo in illam has quatuor voces:

Gelnude, G. Geneſis, E. Exodus, L. Leuiticus, Nu. Numeri, D. Deuteronomium, E. Euangelia quatuor.

Iirrpeticima, I. Ioſue, I. Iudicum, R. Ruth, R. Regum qua-

tuor P. Paralipomenon duo, E. Esdræ duo, T. Tobiæ, I. Iudith, E. Esther, I. Iob, M. Machabæorum duo, A. Acta Apostolorum.

Psapcese Pauca, Psa. Psalmos Dauid, P. Prouerbia, C. Cantica, E. Ecclesiastes, S. Sapientia, E. Ecclesiasticus, Pau. Pauli Epistolas 14. Ca. Canonicas 7.

Iibeddua, I. Isaias, I. Ieremias, B. Baruch, E. Ezechiel, D. Daniel, Du. Duodecim minores, A. Apocalypsis.

Oratio adstricta numeris faciliùs memoriæ commendatur, ac retinetur diutius: vnde fit, vt ea, quæ velimus meminisse, carmine contexantur.

PARS



PARS VI.

De PRONVNCIATIONE.

CAPVT I.

Quid sit PRONVNCIATIO, *& quæ eius partes.*

PRONVNCIATIO est corporis & vocis ex rerum & verborum dignitate moderatio: cuius vis tanta est, vt ex sententia Quintiliani, mediocris oratio commendata viribus actionis plus habitura sit momenti, quàm optima illâ destituta: non enim tam refert qualia sint, quæ intra nos composuimus, quàm quemadmodum efferatur. Actionem dixit Cicero esse, quæ domina-

tur,

tur, hanc Demosthenes omnibu Rhetoricæ partibus præposuit hanc maximam oratoris lauden esse dixit. Inueniendi acumen disponendi prudentia, eloquẽd venustas, & memoriæ felicita non tã celebrem oratorẽ faciunt quàm sola actionis dignitas illustrat. Si reliquæ partes natura, arte, & exercitatione comparantur: ad hanc vnam maiora naturæ subsidia expetenda sunt, hæc omnibus præceptis instruenda, hæc maiori exercitatione, labore, & industria excolenda, & quod caput est, hic affectus & ardor animi ad commouendos auditores à Deo est summis precibus postulandus.

Duas habet partes actio, vocem & motum; vocis mutationes totidem debent esse, quot animi. De hac priùs dicemus, deinde de motu & gestu corporis.

CAPVT II.

De VOCE *moderanda.*

VOx, ſi ratione quantitatis examinetur, eſt parua, magna, & media; parua, quę longiùs exaudiri non poteſt; magna quæ longè latéque porrigitur, & media inter vtramque.

Vox item tribus tonis accommodatur, graui, acuto, & medio. *Primo* reſpondent duæ Muſicæ notæ, *vt, re*; *ſecundo* duæ, *ſol*, *la*; *tertio, mi, fa.* Qui vocem ita à natura accepere, vt ſubmiſſum tonum ſonet, qui *Baſis* reliquorum dicitur, non admodum ſunt apti concionibus, nec enim poterunt in affectibus concitatioribus tantum vocem attollere, quantum neceſſe eſt: nec qui ſupremam quam dicunt ex quatuor vocibus habent, nec enim poſſunt cum dignitate vocem, cùm

neceſ

necesse est, deprimere. Illa vox est concionatoribus apta, quæ tenorem, & altum, vt dicunt, personet, hæc enim & ascendit, & descendit faciliùs, & suauiùs. Obseruet autem quisque penitúsque cognitam habeat naturam suæ vocis, vt probè teneat, quantum eam contendere, quantum possit deprimere.

Vox, si qualis sit inquiratur alia est lenis, alia aspera, alia clara, alia obscura, alia explicata alia implicata, alia flexibilis, ali dura, alia firma & constans, & in sua dignitate permanens; alia infirma, & quæ passim deficit; se vt labore de bona fit melior, it etiam persæpe de mala bona.

In vocis moderatione easdem assignat virtutes Quintilianus quas in Eloquutione, vt sit emendata, dilucida, ornata, & apta.

Erit emendata pronunciati

ſi omni vitio carebit, ſi nihil ruſticitatis, nec aſperitatis habeat, ſi modum pronunciandi regionis, & nationis emendatiorem ſequatur.

Erit dilucida, ſi clara, canora, articulata, expreſſa, non velox, non tarda, non obſcura fuerit, ſi ſyllabæ & literæ rectè pronuncientur, ita tamen, vt non numerentur, nam aliquando ſyllabæ deuorari, aliquando deſtitui ſolent pleriſque extremas literas non proferentibus: ſi diſtinctionum habebitur ratio, ſi pro ratione punctorum magis minúſque quieſcet, ſi ſpiritus ſuis locis antequam deficiat, ſumat.

Erit ornata pronunciatio, cui ſuffragatur vox facilis, flexibilis, firma, dulcis & clara, & pro rerum varietate ſuis figuris & formis expreſſa, nunc lenis, nunc vehementior, modò accelerata, modò tranquilla. Contra hanc

varietatem pronunciandi tyrones siue ex timore, siue ex verecundia ferè peccant, aliquando ab initio quandam lamentabilem vocem assumunt, & in hac querimonia & luctu ad finem vsque perseuerant; alij statim in clamores efferuntur, ídque putant esse efficaciter concionari; cùm nihil aliud sit quàm delectando, docendo, mouendo auditores, verba facere: nam, vt quando priuatim loquimur, non semper eodem loquendi modo vtimur, sed alio narramus, alio interrogamus, alio indignamur, alio blandimur; idem in suggestu faciendum est, sed contentione maiori, quia amplificationes verborum & rerum sunt maiores, & quia multi sunt apud quos dicimus, vox attollenda est, vt ab omnibus audiamur.

Apta pronunciatio est, quæ omnibus affectibus, motibúsque

ſeruit animorum. Vox igitur lętis in rebus plena, ſimplex & quodammodo hilaris erit; in certamine erecta & fortis; in blandiendo, ſatisfaciendo, fatendo, rogando lenis & ſubmiſſa: ſuadentium, monentium, pollicentium & conſolantium grauis; in metu & verecundia contracta; in adhortationibus fortis; in miſeratione flexa, flebilis, & conſultò quaſi obſcurior; in expoſitione, ac communi ſermone recta. Attollitur autem concitatis affectibus, compoſitis & ſedatis deſcendit pro vtriuſque rei modo vel altiùs, vel inferiùs: vitandaque maximè illa quæ Græcis Monotonia dicitur, quando eodem tenore vocis tota decurrit oratio; ſed & verba ipſa ſingula diuerſam poſtulant pronunciationem; aliter enim miſer & pauperculus, aliter fortis & vehemens pronuncianda

ſunt; & verba mutatâ pronun
ciatione indicant, interrogant
irrident, eleuant, quæ proprieta
& aptitudo niſi accedat, aliu
animus, aliud vox ſignificabi
Hoc maximè præcepto rect
pronunciatio continetur, v
quiſque ita dicere ſtatuat & co
netur, vt ipſa nos docet natur
in quotidianis ſermonibus lo
qui, ſed elata magis voce, curá
que maiori. Statim igitur in ipſ
orationis initio modum voci
aſſumat, quo ſolet inter domeſti
cos vti, ita tamen, vt poſſit a
omnibus ipſum thema propo
nens exaudiri. Ne nimis crebro
paſsímque per totam concio
nem clamores edat, qui enim ſæ
pe clamat defatigatur, cúmqu
opportunum erit edere clamo
rem, non facile poterit. Audito
res etiam defatigantur, & aſſue
ti clamoribus, non facile vbi o
pus eſt, commouentur. Tempe

ſtiui clamores vtiles ſunt, præſertim ſi vox ſit clara, dulcis, robuſta, non aſpera; non obtuſa, non exilis, & nimium acuta, & ſi ex animi ſenſu, & affectu in re graui, quæ probè explicata, probataque rationibus ſit, erumpant, mirabiles motus efficient.

Temperanda & coërcenda eſt ſumma diligentia feſtina, & præceps oratio: nã ingenti imbri ſimilis, qui repentè effuſus terram eluit, non humefacit, dum multas ſententias, alias ſuper alias rapidè euoluit, nihil auditor arripere & ſeruare poteſt. Nam, vt inquit Seneca, huiuſmodi orationis curſus nihil habet vtilitatis, inanitatis, & vani multum: nam oratio, quæ ſanandis mentibus adhibetur, deſcendere in nos debet: remedia non proſunt, niſi immorentur, lenienda ſunt, quæ me exterrent, compeſcenda, quæ irritant, diſcutienda quæ

fallunt, inhibenda luxuria, corripienda auaritia, quid horum raptim fieri poteſt? Quis medicus ægros in tranſitu curat.

Neque tamen dum celeritas fugitur, in contrariam incidendum eſt tarditatem, vt ita dicas, quaſi verba adnumeres: nam affectus omnes langueſcunt, & auditores oſcitatione ſoluuntur. Modus ſit in rebus, & orator, ſi nec nimis velox, nec tardus fuerit, facile vocem à contentione, & clamore ad ſedatum, & naturalem modum remittet, & pro vt expedierit, variabit. Ex ſententia Quintiliani prima rectè pronunciandi ratio eſt æquabilitas, ne ſermo ſubſultet imparibus ſpatiis & ſonis, elata ſummis, acuta grauibus commiſcendo.

Aliqui igitur dum monotoniam fugiunt, modò attollunt modò deprimunt vocem, vt nec alta intelligi, nec ſubmiſſa poſſi

audiri. Hoc vitium euitabitur, si vsum communem omnibus loquendi sequamur, quémque à natura sumus edocti: nam iuuari ab arte natura, ac perfici debet, non vitiari.

Capvt III.

De Motv & Gestv corporis.

Gestvs motúsque corporis voci consentiant, & vtrumque, vox scilicet & gestus, animo simul pareat. Quantum verò gestus corporis habeat in oratione momenti, satis vel ex eo patet, quòd pleraque etiam citra verba significant. Nec debet esse nimius, nec valde artificiosus, sed naturalis & simplex, vt videatur omnino natus, & ex rebus, quæ dicuntur, & ex affectu dicentis. Actio non debet esse scenica, vel

histrionica, vt si quis medicum pingens, sibi tentet arterias; vel si venatorem, videatur currere, vel si militem, gladium stringere. Grauis debet esse orator, & cordatus, memineritque se doctorem agère, non histrionem. Vt igitur à toto corpore ordiamur, status eius sit erectus atque celsus, qui magnum, constantem, & fortem demonstrat, non incuruatus, quia rusticitatem, non vacillans, quia leuitatem, non deiectus, quia animum mollem, & effœminatum indicat. Concitata & frequens in vtramque partem corporis mutatio reprehendi solet: quod qui faciunt, quasi è lintre loquuntur. Non nimis corpus abiiciat, nec submittat, nec saltitet. Quod verò ad singula membra attinet,

Caput sit rectum, & secundùm naturam, modicè in anteriorem partem inclinatum: deie-

cto humilitas, supino arrogantia, in latus inclinato languor, præduro ac rigenti barbaries quædam mentis ostenditur: nec leuiter caput circumagat, quasi portam in cardine; illud iactare, & comam rotare phanaticum est.

Vultus accommodari debet rebus, hilaris in lætis, mœstus in tristibus, seuerus in obiurgatione, acris in solicitudine, ardens in iracundia, conturbatus in conquestione, deiectus ac demissus in verecundia, in omnibus grauis & maturus, vt nunquam habeat aliquid dissolutum, aut indecorum, nihil immodicum & affectatum.

Vultum ita componat ac moderetur orator, vt omnes auditores quantum fieri potest, eius os intueri queant, nec in alteram partem ita se vertat, vt aliquo modo faciem ad maiorem audi-

torum partem conuersam non habeat.

Frons modicè demissa & corrugata pudorem; serena & explicata hilaritatem, & clementiam ostendit.

Supercilia sublata arrogantiam, demissa verecundiam indicant, crudelitatem, cùm alterum est sublatum, alterum deiectum.

Oculorum, qui animi sunt indices, maximè habenda est ratio, ardentes iracundiam, intenti attentionem, suspicientes anxietatem, nimium deducti stoliditatem significant. Non vno obtutu semper eosdem auditores aspiciant, nec ab omnibus se auertant, nec parietes & tectum aspiciant, quasi ibi essent aures.

Nares corrugatæ illusionem indicant, eas sine causa frequentiùs emungere, eísque subito impulsu spiritum excutere vitiosum est.

Labia porrecta ſtultorum ſunt, cùm mordentur iratorum, ea lambere indecorum erit; collum nec debet deduci, & in altum erigi, quia ſic fatigatur vox; nec pectori mentum affigi, quia minus claram reddet vocem preſſo gutture. In demonſtratione, & probatione inclinandæ ceruices ſunt, nam proximè vultum auditoribus admouemus, cùm eos docere, aut inſtigare volumus.

Manus loquaciſſimę ſunt, nam cæteræ partes loquentem adiuuant, hæ verò, prope eſt, ait Quintilianus, vt ipſę loquantur, ſine quarum motu trunca ac debilis fit omnis actio. Pectori admouentur, cùm de ſe quis loquitur; cùm de alio, [illegible] illum intenduntur, cum ſenſu & incipiant & deponantur: quamuis leuiter iactandæ non ſint, raò tamen quieſcant, ſemper loquentem

ambæ comitentur: nec infra pectus depromantur, nec vltra humeros attollantur; sint semper aliquantulum compressæ, non nimium exporrectæ, ac extensæ, ac si velint alapam impingere, non disiungant, ac dissipent digitos; pollex poterit aliquando extendi, aliquando indici admoueri. Manuum motus in proponendo sit tardus & spatiosus, in enarrando grauis, sed facilis, in confirmationibus acrior, & velocior, vt videantur ex iis præcordiis argumenta manibus depromi, & in aures auditorum immitti. Quæ distinguenda & diuidenda sunt, & hac & illa manu singillatim diuidentur, vel diuisionem index dextrę, in sinistrę manus digitis efficiat, qui motus maximè deseruit acutis argumentationibus. Vtraque manus eleuata, & velut resupinata admirationem denotat: eleuatæ

exten

extenſæ & applicatæ Deum deprecantis ſunt: digitis implicitis & cancellatis ad pectus admotæ dolentis, & miſerentis. Oculos ſemper ſequantur manus, quocunque ſe illi attollant, deprimant, conuertant. Siniſtra manus ſola nunquam moueatur, ſed ſemper dexteram comitetur: dextra ſola indice extenſo demõſtrat, eleuata vltra humerum comminatur, exporrecta vrget & incitat, in vehementioribus affectibus vel extenſa palma, vel compreſſo pugno poterit aliquando ſuggeſtum quatere. Manus ſæpius complodere vitioſum eſt, in fine grauis alicuius rationis non diſplicet. Tot igitur debent eſſe motus manuum, quot oculorum, quot vocis, quot animorum, grauis tamen, & qui oratorem Eccleſiaſticum deceat: nam illi ferri non poſſunt, qui brachiorum iactatione,

& irrequieto corporis motu digladiari, non dicere, ſatagere potius, quàm agere videntur.

Hæc de Pronunciatione, quæ præcipua eſt Rhetoricæ pars, maxima oratoris laus: quæ vna, ſi qua alia labore eſt comparanda, induſtria excolenda, & exercitatione perficienda. Non eſt vnius diei aut opera, aut opus, diu eſt inſudandum. Animaduertat ab ipſo tyrocinio orator, & admoneri ab aliis velit, quæ in ſua pronunciatione vitia ſint, & nunc hoc, nunc illud corrigat diligenter, caueat ne abeant in conſuetudinem, quæ difficile expellitur. Obſeruet attentis oculis non ſolùm præſtantes in dicendo oratores, ſed quoſuis, etiam peſſimos, quid in illis placuerit diligentiſſimè imitetur, quid in his diſplicet, fugiat pro viribus: non ſolùm patiatur, ſed amet etiam & gaudeat ſe ab aliis

corrigi. Mirum eſt enim, quot labor improbus excellentiſſimos oratores fecerit in dicendo, in quo perrarò exoritur aliquis excellens.

CAPVT IV.

PRAXIS *præceptorum pro ſacris oratoribus.*

CONCIONEM ſi multis antè diebus parauerit, pridie ante agendum attentiùs meditetur, vt recenti dicendorum memoria, & conſideratione affectus incaleſcat, & meditatione exardeſcat ignis, quo incendat alios.

Si non bene paratus accedit, hæſitabit, timebit, langueſcet, frigeſcet, obliuiſcetur.

Per capita potiùs & argumenta annotet, ſcribátque concionem, nam ad verbum ſcriptam

ediſcere puerile eſt, & alligatus verbis non poterit pro dignitate agere.

Præuideat non ſolùm quid, ſed etiam quomodo dicturus, & quid ſubmiſſo dicendi genere, quid medio, quid vehementi dicendum.

Animo concepta Deo attentus & ſupplex repræſentet, vt eius luce illuſtrentur, igne accendantur, referat ad eius gloriam, proximorúmque ſalutem; interponat Beatiſſimæ Virginis, ſanctorum Angelorum, quibus auditores commendati ſunt, & aliorum Sanctorum, animarum item Purgatorij interceſſiones. Concipiat quantum poſſit Dei amorem, & zelum, pro quo certat, in eius bonitate infinita, cui ſoli innitatur, fiduciam, perditorum hominum, quos fratres ſuos eſſe putet, commiſerationem, ſcelerum, in quæ pugnat,

odium, ſuæ induſtriæ, labori, & dicendi facultati diffidat; deinde tamen ſe legatum eſſe meminerit, & omni timore depoſito, animi fortitudinem, & dicendi libertatem, ſe reliquis ſuperiorem vt loco, ita etiam munere intuens comparabit: præmittat ieiunium, corporis aliquam macerationem, & ſi ſaluti, & libertati actionis non repugnat, cilicio inſtructus ad dicendum aſcendat. Vt firma, quæ dixit Cicero, latera habeat, ſe ſtrictiori zona conſtringat, vultu ſurgat ad modeſtiam, grauitatémque ſimplicem, ſine vlla affectatione, compoſito. Antequam incipiat, paululum commorabitur, ſtatu, vt diximus, rectò: manus in pulpito ita apponantur, vt videri poſſint, vel iunctæ, vel ſeiunctæ parum. Interim obſeruabit, qui ſint auditores, & in qua loci parte, vt ſi quæ facienda ſit ad hos vel illos

conuersio, nihil peccet.

Cùm se signo crucis religiosè pręmunierit, thema proponat, ab eóque auspicabitur tono, qui in tota concione potissimum seruandus est; ad quem post vocis commutationem suis locis factam facile redeat. Atque ita incipiat vt ab omnibus exaudiatur. Graui itaque vtetur exordiens voce, & moderata, nisi aliquando abrupto, concitato, & vehementi vtendum sit exordio; sed ab hoc sono ad temperationem redeundum erit, à quo ferè incepisse potuissemus. Gestus sit totius corporis cum leni laterum inflexione, eodem spectantibus oculis: manus vel sint immotæ, vel solùm dextera modestissimè moueatur.

Ita breuiter præfatus, exposito themate, & scopo orationis proposito, claudet acutè & breuiter exordium, ne diutius deti-

neat

neat auditores, Spiritus ſancti gratiam Beatiſsimæ Virginis interuentu poſtulans, quam ipſe etiam cum cæteris deprecabitur obnixè.

Rurſus eodem tenore vocis incipiat, narrationémque vel expoſitionem thematis, aut loci communis aggrediatur, illa magis claram & contentam vocem poſtulat, magis diſtinctum geſtum, & aliquem manuum motum. Hæc omnia attollet, cõtrahet, moderabitur provt narrationis, vel expoſitionis varietas & natura poſtulabit.

Confirmatio vocem grauiorem, acriorem, & agiliorem poſtulat, & quendam geſtum maiorem, quem animi motus ſuppeditat.

Refutatio, & reprehenſio vocis & motus vehementiores poſtulat commotiones.

In digreſſionibus vox ſolet

esse remissior, & expers contentionis, nisi illæ sint eiusmodi, vt aliud petant.

Epilogus omnem varietatem vocis, gestus & affectus petit, qua de causa optimè teneat, seruétque diligenter, quæ de apta pronunciatione dicta sunt. Fortissimam rationem, grauissimam sententiam, & vehementissimum affectum in finem reseruet: & sensim, ac tempestiuè receptui canat, ne fastidium pariat auditoribus, breuior esse malit, quàm longior, æternam omnibus ardenti voce felicitatem deprecetur. Commodum erit aliquando in re præsertim causáque grauissima, & cùm commotos viderit auditores ex abrupto desistere, vt si de maximis Christi cruciatibus, vel de indignissimæ eius morte, vel de æternis pœnis concionem habuerit.

Duo

Duo restant finita concione pericula superanda, pusillanimitatis, & deiectionis, vnum, si non bene successerit; vanæ gloriæ, & inanis lætitiæ, alterum, si aliis & sibi placuisse putauerit. Facile vtrumque superabit, nec illo, nec hoc commouebitur, si soli Deo placere studuerit, qui non tam opus, & euentum, quàm agentis operam, conatúmque intuetur. Atque ille optimè & præclarè dixisse, egisséque putandus est, licèt ab omnibus irrideatur, & explodatur, qui solam Dei gloriam ante oculos sibi proposuerit; ille operam perdidisse & oleum dicendus est, licèt in cœtum miris laudibus extollatur, si hominibus placere studuerit, quia Christi seruus non est.

Plura quæ de Pronunciatione, ac eius praxi dicta sunt, ex obseruationibus deprompta

ſunt P. Hieronymi MONTESI-NI, quas non tam ſcriptis, quàm reipſa, & exemplo ſuo docuit, vtpote, dicendi laude percelebris, & excellens, qui ante triginta duos annos, meus in Rhetorica facultate diſcipulus, nunc multis ac maximis partibus eſt ſu-pra Magiſtrum.

PAR



PARS VII.
& vltima.

ELENCHVS *eorum, quæ optimo oratori Ecclesiastico seruanda; quæ item fugienda.*

SERVANDA.

CAP. I.

Circa SEIPSVM.

1. INSTRVMENTVM se Dei, ad eius gloriam, animarúmque salutem quęrendam, esse meminerit; enitatur igitur totis viribus tanto muneri satisfacere.

2. Pro

2. Pro Christo legatione fungitur, strenuè quouis labore superato, suum officium exequatur.

3. Ne temere tantam prouinciam suscipiat, sed à Deo non obscuris signis vocatus, vel à suauiore compulsus.

4. Animarum pastores verbi diuini pabulo illas pascere tenentur, per se, vel per alios.

5. A Deo se vocatum intelligens, ex superioris iussu, ne absconditi talenti reus fiat, nullam illius exercendi occasionem prætermittat.

6. Volens libénsque non frequentiam hominum, sed animarum lucra quærat etiam in vilissimis pagis.

7. Numquam verus ac dignus in Ecclesia Dei orator erit, nisi virtutum illustretur splendore.

8. Eô sua studia, laborésque conuertat, vt soli Deo placeat.

9. Dei & Christi amore ardeat, si alios velit accendere.

10. Prædicationem oratio semper comitetur, iuxta Apostolicum axioma, *Nos autem orationi, & verbo Dei instantes erimus.*

11. Summa in Deum fiducia, quasuis subortas difficultates tolerabit.

12. Proximos fraterno, imò materno affectu diligat, vt non modò sua, sed se etiam pro illis libenter impendat.

13. Vbicunque magnam præseferat cordis humilitatem.

14. Paupertas Apostolica Christi legato conuenit, vt cum Paulo dicat, *Non vestra, sed vos quærimus.*

15. Fortiora sint exempla quàm verba, curet vbique, vt quos verbo hortatur ducat exemplo.

16. Quas Christus Dominus verbi Dei præconibus regulas

aſſignauit, ſtudioſè legat, dili
genter obſeruet.

17. Non ſolùm vitæ ſanctita
te, ſed ſcientia quoque illuſtr
debet eſſe, ne claudicet præd
catio.

18. Sacras in primis literas le
gat, intelligat, verſet, medite
tur, vt ſibi primùm, deinde ali
proſit.

19. Legitimum earum ſen
ſum ex ſanctorum Patrum inte
pretatione rimetur.

20. In ſcholaſtica Theolog
ſit ſaltem mediocriter verſatus.

21. In ſanctorum Patrum le
ctione ſit aſſiduus, eorum no
ſolùm res, ſed ſpiritum etia
hauriat, ſententias crebrò vſu
pet.

22. Sacrorum Canonum, ca
techiſmi, controuerſiarum cu
hæreticis, Græcæ & Hebraic
linguæ, liberalium artium, & h
ſtoriarum notitia, non debet e

ſe omnino deſtitutus.

23. Facundiam comparet ſe dignam, à natura datam exercendo, artis præceptis excolendo, optimos oratores audiendo, & æmulando.

24. Tyro ſe intra priuatos parietes exerceat, habeat fidum admonitorem, etiam veteranus cùm ſit, nam plus vident oculi, quàm oculus.

25. Ad D. Paulum nimium afficiatur, eius epiſtolas quotidie legat, eo protectore gaudeat, eúmque imitetur. Ex ſanctis etiam Patribus aliquem, vel aliquos ſibi patronos aſciſcat.

CAPVT II.

Circa ipſam ORATIONEM.

1. ORATIO non eloquentiam futilem, & prurientem auribus, ſed ſeriam, &

grauitate ſententiarum impellentem auditores poſtulat.

2. Christiana eloquentia fortis debet eſſe, non mollis, & luxurians; ſuperfluum ornatum fugiat, & omnem ſuſpicionem leuitatis.

3. Cùm finis dictionis ſit perſuadere, in quauis concione idoneam materiam ſeligat, & in quauis concione certum ſibi aliquid, quod ſuadeat.

4. Ad eum ſcopum omnia argumenta, tota actio & induſtria tendat.

5. Ad finem conſequendum, auditoris mens primò docenda, deinde voluntas impellenda: delectandus eſt autem auditor, vt ſe moueri & doceri ſinat, non mouendus & docendus, vt delectetur.

6. Ea præclara eſt eloquentia, quæ grauiter delectat, præclarior, quæ diſertè docet, præclariſſi

tissima, quæ fortiter mouet.

7. Considerato auditorum statu, sumat materiam vel ex via purgatiua ad deterrendos à vitiis, vel ex illuminatiua ad suadendas docendásque virtutes, vel ex vnitiua ad illos perficiendos, & Dei amorem inflammandum.

8. Ea præcipuè tractet, quæ mores instruant, peccatorum pęnitentiam commendent, & diuinorum præceptorum obseruationem.

9. Locos topicos, & theologicos communes, & peculiares cuiusuis generis, optimè calleat, ne desint efficacia argumenta.

10. Eos locos peculiari studio consulat, qui ad Christi mysteria pertinent, vt Christi amorem, & Christianos mores auditorum animis inserat.

11. Diuinæ Scripturæ testimonia accuratè verset, fideliter affe-

rat, cum maiestate proferat: vsurper frequentiùs historicos sensus, quàm allegoricos.

12. Variis vtatur argumentationibus, exemplis, similitudinibus, sententiis grauibus Sanctorum potius, quàm Ethnicorum, rarissimè vel nunquam Poetarum, & ad excitandos motus amplificationibus.

13. Mouebit faciliùs affectus, quos ipse in se induerit, res ipsas & verba penetrando, & quæ dixerit meditatione decoquendo, & cælestem ignem oratione postulando.

14. Plurimum valet ad mouendum concepta de oratoris virtute bona opinio, quam acquiret & conseruabit bono vitæ exemplo, etsi eius conciones proximorum salutis studium, Christi amorem, & Pauli zelum redoleant, & spirent.

15. Facile persuadebit oratio,

si

si audientium senioribus & ingeniis, loco, tempori, materiæ, & dicentis personæ accommoda uerit.

16. Res inuentas, prout genus causæ varium postulat, disponat.

17. Quæ dicenda sunt ad capita, si partitione opus est, ad summum quatuor referat, quorum propositione & diuisione docilem in principio faciat auditorem.

18. Exordium graue sit & aptum, narratio breuis, dilucida, suauis & vera.

19. Confirmet sua efficaciter, contraria refutet neruosè, & modestè. Digressiones sint breues. Peroratio per cohortationem excitet affectus.

20. Triplex dicendi genus optimè teneat, & grāditer, moderatè, & submissè, provt res postulat, loquatur. Semper autem

emendatè, propriè, dilucidè, & aptè, vim potius præferat, quàm flores.

21. Sit simplex & Ecclesiasticus stylus, in quo res magis, quàm verba emineant.

22. Figuræ sententiarum & verborum opportunæ reddunt orationem efficacem & viuam, maximè graues descriptiones, quæ rem oculis subiiciant.

23. Memoriam iuuat methodus in rebus, signa quædam ediscendis addita, diuturna exercitatio, præsertim matutina.

24. Vtatur voce clara, naturali, æquabili, varianda pro rerum, quas elicit, natura.

25. Gestus respondeant rebus, & sententiis, & ad ea quæ dicuntur, se graui, & naturali decoro, & decenti actione accommodet.

CAPVT III.

Circa PRVDENTIAM *&* INDVSTRIAM *oratoris.*

1. HOc, si quod munus prudentiam maximam requirit, suas vires probè cognoscat, vt nihil supra illas audeat, vt se reprimat, si naturæ sit vehementis, vrgeat si timidæ.

2. Se loco, tempori, & captui auditorum aptet, zelus sit secundùm scientiam. Quæcunque dicenda præmeditetur.

3. Ne præbeat suis verbis occasionem liberioris vitæ sectandæ, quæstiones parum vtiles omittat.

4. De se suísque rebus raró, vel nunquam loquatur.

5. Humilitatem & patientiam semper præseferat, tunc maximè cùm quid contra se dictum aut

factum nouerit, quod maximè conciliat auditores.

6. Feruorem ſpiritus & dicendi ardorem, qui eſt concionis anima, alet precibus, corporis caſtigatione, librorum ſpiritualium lectione, ac meditationibus.

7. Inter orandum renouatur attentio, interpellando, monendo, interrogando, varia oratione ad viuum rerum exprimente, actione efficaci, & ſeria, & promiſſione veritatis.

8. Libertas ſit in dicendo, ſine vlla ſuſpicione vanæ timiditatis, vbi Chriſti cauſa, & proximorum ſalus agitur; ſed non ſit audax, nec extra fines modeſtiæ, ſed charitati & humilitati conſentanea.

9. A theſi tranſeat ad hypotheſim, vt auditor in ſpecie diſcat, quid, & quomodo ſit agendum, & memoria teneat, medi-

tatione ruminet, & opere perficiat.

10. Apud rusticos dicat, quæ facile intelligant, inculcet peccatorum pœnitentiam, & præceptorum obseruationem.

11. In aulis Principum nec aduletur, nec imprudenter arguat; nunquam, si fieri potest, in illis versetur, ne qui tangit picem, inquinetur ab illa.

12. Habeat paratam rerum syluam, ex qua pro varij status ratione, singulis hominum generibus suum pabulum proponat.

13. De eligendo statu cogitantes ad Dei voluntatem cognoscendam, & sequendam adhortetur.

14. Omnia peccata acriter insectetur, acriùs verò, quæ consuetudine inualuerunt; acerrimè, quæ obduruerunt: in desperationis ac impœnitentiæ barathrum dilapsis, opportunè im-

portunè remedia adhibeat.

15. Habeat contra peccati grauitatem copiosam segetem locorum, & argumentorum.

16. Pœnitentiam peccatorum maximè commendet, actus explicet, confessionis vsum assiduum omnibus modis inculcet.

17. Ita in peccata inuehatur, vt peccatores non exulceret, sed omnes sanet, oleum & vinum adhibeat bonus Samaritanus.

18. Ita Superiores & Ecclesiasticos arguat, vt nihil de eorum reuerentia apud plebem deperdatur.

19. Caueat ab adulationis suspicione, & veritatem sincerè proferat, potius in seueriorem partem, quàm in laxiorem inclinando.

20. In via illuminatiua ad progressum in virtutibus, Christi imitationem, & mysteriorum eius considerationem exhorte-

tur, vt peccata venialia fugiant, conſcientiæ curam habeant, torporis vitium ablegent.

21. In via vnitiua, de ſtatu perfectionis, de Religioſorum felicitate, de ardenti cæleſtis vitæ deſiderio.

22. Sæpius ad Dei amorem, & fraternam charitatem exhortetur.

23. In quærenda proximorum ſalute, præſertim in miſſionibus ſibi primùm inuigilet, omnes puſillanimitatis anguſtias, amoris proprij affectus, & inordinatas corporis concupiſcentias abiiciat.

24. Prudenter intelligat, quibus operibus ſit magis inſiſtendum, cum quibus perſonis diutius agendum, & media quærat, quibus ſe omnibus beneuolum & officioſum præſtet.

25. Magno pietatis affectu feratur ad pauperum miſerias ſub-

leuandas, in quo maius emolumentum recipit, qui dat, quàm qui accipit.

26. Habeat collecta multa consilia, & monita, quibus auditores ad praxim Christianę & spiritualis vitæ instruat.

27. Præparationem concionis præcedat oratio, inuenta rectè disponat, disposita corrigat, addat, detrahat, perpoliat.

28. Habiturus concionem separet, corporis castigatione, Missæ sacrificio, atque aliis precibus.

29. Accedens ad pulpitum rectam intentionem ac zelum renouet.

30. In concione consideratè loquatur, verba non proiiciat, sed ponat. Absoluta concione Deo suum laborem offerat, pro erratis veniam petat, pro bene gestis Deo gratias agat.

31. Habiturus plures concio-

nes, per aliquot dierum ſeceſſum, ſpiritualibus commentationibus ſe exacuat.

32. Ea ſemper prædicet quæ aptiora & vtiliora auditorum ſaluti futura intelligat, nec minus exemplo, quàm voce prædicet.

FVGIENDA.

CAPVT IV.

Circa ſuam PERSONAM.

1. ERRANT, qui non vocati, ſed quodam dicendi pruritu, vel honoris, aut lucri cupiditate, ſe ad concionandum ingerunt.

2. Qui non cogitant tanti muneris dignitatem & pericula, vt illo vel planè abſtineant, vel cautè aggrediantur.

3. Qui animarum curam gerentes, vel gregem non paſcunt, vel eos concionatores quærunt,

qui floribus, non ſolido cibo paſcant gregem.

4. Qui id munus, quod Chriſtus ante trigeſimum annum non vſurpauit, ante maturam ætatem aſſumunt: niſi à ſuperiore compulſi.

5. Qui vocati idonei, à ſuperioribus electi, hoc munus detrectant, vel laboris, vel non placendi metu, vel eo prætextu, vt ſuæ ſaluti vacent.

6. Qui magnarum vrbium ſuggeſtus ambiunt, ruſticos pagos & homines fugiunt, vel ob nominis ſui famam, vel ob maiora vitæ commoda.

7. Qui vita & moribus expungunt, quæ verbis docent, vt dici illis poſſit, *Medice cura teipſum.*

8. Qui Dei gloriam & animarum ſalutem ſincerè non quærunt, ſed ſe magnificè prædicari gaudent, alios cæleſti pane pa-

ſcunt

ſcunt ſeipſos fumo, ſi fumus paſcit.

9. Qui ita prædicationi vacant, vt eam non ex meditatione & oratione, ſed ex humano ſtudio & induſtria deſumant, vt Ethnici oratores.

10. Qui in difficultatibus deſpondent animum, & ab incepto ad Dei gloriam opere deſiſtunt. Quis agricola non ſeminat, vel colligit meſſem, pruinam vel æſtum timens.

11. Qui non vruntur ſancto zelo, cùm tot Deo iniuriæ inferantur, tot homines pereant, ſuóque muneri ſatisfeciſſe putant, ſi horam expleuerint.

12. Qui ſua magnificè prædicant, & ſalutationes in foro, domíque ambiunt.

13. Qui in victu, veſtitu, viatico Apoſtolicam non amant paupertatem, & ſeipſos, non Chriſti gregem, videntur paſcere.

14. Qui

14. Qui colloquiis sæcularium, & conuiuiis delectantur, eorum negociis se immiscent, nec silentij, & secessus amatores sunt.

15. Qui sacrarum literarum nec lectioni, nec meditationi admodum student.

16. Qui sacros libros ita legunt, vt non suos mores instruant, sed vt docti habeantur, caue ne dum alios doceas tibi noceas.

17. Qui vix theologicas quæstiones attigerunt, & eas disputare temere audent.

18. Qui sanctorum Patrum volumina non euoluunt, sed in scribendis aliorum concionibus, præsertim quæ vanitatem sapiunt, toti sunt.

19. Qui pauca de Dei pręceptis, & sacris literis, multa de prophanis historiis afferunt. *Ite*, ait Christus Apostolis, *prædicate*

Euangelium, non Aristotelis argutias, Ethnicorum historias, Poetarum figmenta.

20. Qui eos imitantur concionatores, qui populari facundia non Ecclesiastica pollent, vel quæ vitiosa sunt, vel suæ naturæ minimè idonea.

21. Qui concionum periodos suis numeris rotundant, cásque vt scripserunt pueriliter recitant.

22. Qui non se priuatis concionibus exercuerunt & ab aliis instrui, & admoneri nolunt.

23. Qui Christum nec multum in corde, nec in ore habent, de eius amore, & mysteriis serò ac frigidè loquuntur, quæ serò & tepidè meditantur.

CAPVT V.

Circa ipsum OPVS.

1. EA est vitiosa eloquentia, quæ delectandis auribus, non componendis moribus, seruit: nam ipsa verborum dulcedo distrahit animum à rerum vtilitate.

2. Cùm nullus certus scopus præfigitur, & nec orator quid suadeat, nec auditores quid suadeatur intelligant.

3. Cùm maior & prima pars concionis in subtilibus argumentis & inutilibus consumpta; de motu animorum & institutione morum languidè, & ieiunè postea agitur.

4. Cùm thesis aliqua congesto eruditionum aceruo ornatè explicatur, de hypothesi parum aut nihil.

5. Cùm subtilis aliqua quæstio disputatur, nec ea docentur au-

ditores quæ ſcire oportet vt faciant, non vt docentem laudent.

6. Cùm deſcriptionibus inutilibus & facetiis recreantur auditores; cùm concio ridet, diabolus ridet, & Deus ſæpe irridetur.

7. Cùm tam parum frigidè agens, commouerit auditores, vt non minus frigidi venerint, quàm diſcedunt.

8. Cùm controuerſia aliqua inutiliter diſputatur, vbi vel ipſe orator iudex eſt, vel rudis plebs, vtrumque abſurdum.

9. Cùm Scripturæ noui ſenſus, omiſſa SS. Patrum authoritate, afferuntur, id non eſt tutum, & quod probatur ſapientibus, nouum eſſe non poteſt.

10. Cùm multa ex ſacris literis loca afferuntur, orator ſuam venditat memoriam, confundit alienam.

11. Cùm

11. Cùm multæ afferuntur allegoriæ, præsertim proprio ingenio inuentæ, leuitas est multa, vtilitas aut exigua, aut nulla: cùm fabula Ethnicorum ad Christiana sacra traducuntur stulta temeritas.

12. Cùm Scripturæ testimonia afferuntur parum fideliter, & peius transferuntur, vel duriùs extorto sensu, & non phrasi propria explicantur, vel negligentiæ vel imperitiæ orator arguitur.

13. Cùm oratio similitudinibus vilibus, sordidis, vel pluribus, vel longis, vel poeticis fordescit. Nequid nimis, nequid minus.

14. Cùm exempla nec auditoribus, nec tempori accommodata, vel dubia, vel non ex probatis authoribus afferuntur. Qui fidem facit dubiis, abrogat cæteris.

15. Cùm res inutiles amplifi-

cantu

cantur, eloquutionis prophanæ iactatio eſt, ſacræ iniuria.

16. Cùm alios vult accendere ipſe frigidus, ignem pictum adhibet, cùm ſit incendenda ſilex.

17. Cùm moratam vt faciat orationem, eas virtutes oſtendit, quas non habet, hiſtrionem agit.

18. Cùm eodem modo ad iuuenes, ac ſenes, doctos, ac ruſticos, religioſos, ac ſæculares verba fiunt, eodem calceo omnium pedes induuntur.

19. Cùm oratio ordine caret, & prolixis digreſſionibus aſſuitur, indigeſta eſt rerum moles, auditores confundens, oratorem turbans.

20. Cùm exordium, vel eſt prolixum, vel commune, vel ſalibus aſperſum, vel phaleris ornatum: humano capiti ceruicem pictor equinam iungit.

21. Cùm orator tumido ore exorditur, & vt mõs parturit, ti-

meat ne naſcatur ridiculus mus: cùm exordiens nimis fatigatur ſumma contentione, fortè deficiet in via: cùm nimis ſubmiſsè loquitur ſibi canet, auditor diſcedet ſurdus.

22. Cùm oratio in multa membra diuiditur, vel longiſſima futura eſt, vel nullum ſuaſionis ſcopum habitura: primum intolerabile, ſecundum inutile.

23. Cùm ad ſua confirmanda, & refutanda aliena leues rationes affert, auditorem ſi quo impellet, ad ſuimet contemptum impellet.

24. Cùm hæreſes, vbi non ſunt, confutantur, ſtultum eſt, ſi vbi ſunt leuiùs arguuntur, iniuria eſt catholicæ veritatis. Cùm SS. Patrum ſententiæ, quæ excuſari poſſunt, reprehenduntur, audacia eſt; ſunt Patres, ſunt Sancti, vtrumque nomen eſt venerabile.

25. Cùm

25. Cùm Epilogus ſemper repetitione terminatur, præſertim longa, vel eadem, affectatus videbitur, & frigidus.

26. Cùm concio aliqua facetia, quæ moueat riſum, dimittitur, circulator garriit, nō orator.

27. Cùm ſublime dicendi genus ſe inflat in turgidum: moderatum ſine ſtructura & neruis diſſoluitur: demiſſum humi ſerpit & repit abiectè. bonum vinum aceſcit.

28. Cùm variorum idiomatum notitia oſtentatur, ridiculum eſt. Qui Hebræas & Græcas inculcat ſententias, ſurdo canit: ſed breuiſſimo aliquo Hebræo, aut Gręco verſiculo myſteria Scripturæ innuere laude non caret.

29. Cùm nullis figuris, & tropis oratio diſtinguitur, inornata eſt, cùm figuras habet, ſed ſine pondere ſententiarum, arbor eſt foliis viridis, ſed ſine pomis in-

frugifera. Quòd ſi plus æquo & importunè adhibeantur, conuiuium parabit totum ex melle.

30. Cùm plurium authorum catalogus percenſetur, loci citantur ad vnguem, longiores ſententiæ ad verbum afferuntur, plus eſt negotij, quàm pretij. Qui effundit plurima, aut parum, aut nihil infundit.

31. Cùm verbatim orationem diſcit orator, repuéraſcit, balbutiet, ſubridebitur.

32. Cùm ſemper & nimium clamat moleſtus eſt, & vim tempeſtiui clamoris obtundit; cùm præceps fertur, non trahet auditores; cùm guttatim verba ſtillat, tædio illos enecat; cùm vocem paſſim attollit ac deprimit, abeat ad mare, vbi iam clara ſydera, iam tartara nigra fluctuando tangat.

33. Cùm nimius in geſtu eſt, omnia membra leuiter agitat.

cre

crebriùs pulpitum, & palmas percutit, meminerit ſe non in ſcena eſſe hiſtrionica.

CAPVT VI.

Contra PRVDENTIAM *peccat.*

1. QVI quæ & quanta hoc munus poſtulat ignorans, illud temere ſuſcipit, nec laudem meretur, ſi non aberrat, nec veniam ſi aberrat.

2. Qui nec animi, nec corporis vires perſpectas habet, ne ſupra illas aliquid moliatur. Longè diuerſa ſunt facile & multa loqui, & prudenter & aptè dicere.

3. Qui non præmeditatur dicenda imprudens eſt. Ter veniant verba ad limam, priuſquam ſemel ad linguam; volat irreuocabile verbum.

4. Qui de maieſtate Dei pa-

rum circunſpectè loquitur, de Sanctis non honorificè, de peccatis etiam obſcœnis non honeſtè, aut nugas & ſcurrilia miſcet, imprudens eſt orator, & imprudens nugator.

5. Qui ambiguè loquitur, vt poſſint verba in malum vel perniciosum ſenſum trahi, imprudens eſt: nam apud iudices ſe loqui putet, qui perplexè dicta in peſſimam rapturi ſunt partem.

6. Qui aliquid ſe non bene dixiſſe aduertit, imprudens & ſuperbus eſt, ſi non corrigit ſtatim; ſatius eſt erratum delere, quàm duplicare.

7. Qui dubias opiniones proponit, temerarius eſt, & dementia per abrupta incedere, cùm plana patent ſpacia.

8. Qui ſe nimium iactat, & oſtentat, plurimum apud auditores deperdit. Nemini placet, qui ſibi nimis placet.

9. Qui ſuam cauſam multis argumentis & querelis agit, dum criminationi, quæ latebat inter paucos, ſatisfacere vult, ſuæ eſt buccinator vel iniuriæ, vel infamiæ. Si te concio laudabilem nouerit, ipſa te etiam tacentem tuebitur.

10. Qui ita reprehendit, vt auditores vel deſignando, vel deſpiciendo exulceret, non peccata corrigit, ſed odia colligit.

11. Qui ſine feruore verbum facit, iniuriam Dei verbo inurit, quod eſt omni gladio ancipiti penetrabilius. Si vitio tuo, miles delicatule, non ferit, non culpa eſt gladij, ignauo homini omne telum obtuſum eſt.

12. Qui prolixè loquitur, ſtomachum mouet, & replet. Hic ſi à menſa recedit auidus, redibit auidiùs, nutrietur ſalubriùs.

13. Qui timidè agunt, veritatem qua decet libertate non pro-

mulgant, causas animarum leuiter tractāt, Apostolica cathedra indigni sunt; væ nobis ac mundo si timidos habuissemus Apostolos.

14. Qui singulos pro suo statu non instituit, nec praxim rei bene Christianæ gerendæ docet, similis est medico de medend arte in schola differenti, nor ægrotos in nosocomio visitanti.

15. Qui se rudium hominum ingeniis non accommodant, nec labores patienter tolerant, munus ignorant concionatoris; nec enim orator sibi futurus est, sec auditoribus.

16. Qui in Principum auli versantur, errant, si aulicum spiritum Apostolico commutant vel si inter concionandum adu lentur, vel liberiores sunt ir arguendo. Inter vtrumque vo labis tutus.

17. Qui aures demulcet leuiculis ſententiolis, nec cor acri oratione ad peccati deteſtationem pungit, ardentiſſimum incendium fidibus canens, vel flores ſpargens, conatur extinguere.

18. Qui ita reprehendit, vt oratio non paternum zelum, ſed ſatyricam mordacitatem ſapiat, officiet, non proficiet. Vrat, ſi opus eſt, veruntamen non ira, ſed charitas.

19. Qui in homines magis, quàm in vitia inuehuntur, imprudenter agunt. Hominem ſi inſectaris, fratrem inſectaris, & peccas. Vitium ſi inſectaris, hoſtem inſectaris, & vincis. Illi imprudentiùs, & impudentiùs, qui ſuperiores & Eccleſiaſticos ita reprehendunt, vt magis infamare, quàm ſanare velle videantur. Concionator es, ſed filius es, pudenda patris tui tege, vt benedi-

caris; qui deridet, maledicetur.

20. Qui indulgent iis, qui dicunt, loquimini nobis placentia, puluillos sub omnium cubitis consuunt, latam viam ostendunt, quæ admonitore non indiget. Arcta via, quam terunt pauci, & inueniunt pauci, est indicanda, & ad illam compellendi cuncti.

21. Qui non curat, vt auditor bonus fiat melior, & qui iustus est iustificetur adhuc; non bene pascit oues; bonus pastor curat, vt oues vitam habeant & abundantiùs habeant.

22. Qui pauperum eleemosynas parum curat, & negligenter commendat, nec diuitibus, nec pauperibus prodesse vult. Qui corrogatæ stipis vbertate gloriatur, sibi noxius est, dum aliis prodest.

23. Qui concionem ita habent, vt nec preces præmittant ad Deum, nec ex corde rem agant, nec post concionem si quid erra-

tum eſt recolant, & vel animum deſpondent, ſi non ceſſit ex votis, vel inaniter efferuntur ſi laudentur, Ethnici ſunt, vel ſaltem politici declamatores. Neceſſe eſt vt ordiaris à Deo, proſequaris cum Deo, concludas in Deum.

24. Qui poſt multas conciones in paucis fructum extare videt, in mutandis moribus, in alienis reſtituendis, in Sacramentis crebrò vſurpandis, timeat, ne id ſua culpa contigerit. Malleus eſt Dei verbum conterens petras: at vtentis brachium, pueri brachium eſt imbecillis, & imbecillis quem ſperas ictum?

FINIS.

Ex Typographeio

IOANNIS ANARD.



